DE CICERONIS CATONE MAIORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

JOHANNES SCHRÖTER
LIPSIENSIS

WEIDAE THURINGORUM
TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT
MCMXI

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

R. Heinze et **Lipsius.**

Lipsiae, d. VII. m. Novembris a. MCMXI.

Procancellario
Fischer.

PATRI CARISSIMO.

Exordium.

Ex illis temporibus, quibus studium Graecorum et Romanorum resurrexit, usque ad aetatem nostram in scholis discipulis eis, qui in studio antiquorum paulo magis versantur, proponi solet Ciceronis libellus ille, quo agitur de senectute. Et iure ac merito; nam Cato maior inter Ciceronis scripta philosophica eximia venustate praestat[1]). Praecipue Jacobus Grimm in oratione de senectute habita[2]) hoc opus laudibus extulit summis. Sed quamvis magnus sit fructus eius, qui magnorum virorum operibus simpliciter delectetur causas admirationis suae non curans, tamen nescio an gaudium capiat multo maius atque utilius is, qui qua via et ratione auctori contigerit, ut opus admiratione dignum conficeret, probe intellegat. Viri docti ei, qui Catonem maiorem interpretati sunt, quamquam illa quoque in quaestione versati sunt, tamen nondum satis diligenter perquisiverunt, quid Cic. in componendo libro sectatus sit. Laborem etiam minorem impertiverunt illi quaestioni, quae est de fontibus Catonis maioris. Propterea nobis proposuimus his quaestionibus operam navare atque ita, ut priore parte de compositione, parte secunda de fontibus Catonis maioris agamus.

Pars prima.

De compositione Catonis maioris.

Qui Cic. de senectute librum diligentius perlegit, haeret saepius in locis, ubi et verbis et sententiis iteratis offenditur atque qui sit sententiarum nexus, aut non facile aut omnino non perspicit. Quae res ab aliis viris doctis aliter explicata est. Meissner (Zu Cicero's Cato maior. Jahrb. f. klass. Philol.

[1]) cf. O. Weißenfels, Cic. als Schulschriftsteller. Leipz. 1892 p. 222 ff.
[2]) Rede über das Alter, gehalten in der Königl. Akademie der Wiss. zu Berlin 1860.

Bd. 131, 1885, p. 209/220) et quod singula verba attinet Lütjohann (Zur Kritik von Ciceros Cato maior. Rhein. Mus. Bd. 37, 1882, p. 503) plura ab eis, qui libellum legerunt, inserta esse suspicati sunt. Hic vir doctus maiores partes, quas ab aliis ortas in textum irrepsisse cum Meissnero contendere non est ausus, a Cic. ipso postea operi inculcatas esse neque satis cum eis, quae iam scripta essent, conexas esse arbitratur. Hanc opinionem Otto sequitur (Die Interpolationen in Ciceros Cato maior. Philol. Abhandl. M. Hertz dargebracht, 1888, p. 94sqq.) atque putat testimonio esse epistulam ad Atticum datam (XVI, 3, 1), cum „librum crebris locis inculcatum", quem Cic. cum epistula illa amico remittit, Catonem maiorem esse sibi persuaserit. Priorem rationem iam Schwenke (Jahresber. über d. Fortschritte d. klass. Altertumswiss. ed. Bursian, Bd. 47, 1886, p. 293 nr. 35) repudiavit et Otto l. c. singulos locos, quos, ab aliis intercalatos esse Meissner, Lütjohann, alii ut Polle (Jahrb. Bd. 131, p. 807) et Sommerbrodt (in edit. Catonis m. VII, 1873) contenderunt, ab illis viris doctis defendit tam sagaciter, ut hac re plane supersedeam. Multo maioris momenti est sententia altera. Epistula quidem illa Cic. testimonio esse non potest, cum Ottonem, a quo etiam Moore (edit. 1903 New-York, introduct. § 48fin.) et Stettner (Cato maior, e. politische Tendenzschr., Zeitschr. f. Österreich. Gymn. 1910, p. 673) decepti sunt, illum locum falso ad Catonem rettulisse ex epistulis antecedentibus appareat; quod vitium iam Schwenke (l. c. Bd. 76, 1893, p. 234. 238) cognovit. Sed qua suspicione et Lütjohann et Otto et Schwenke in universum consentiunt, Cic. librum non satis diligenter composuisse, speciem veritatis praebet. Attamen semper talibus in quaestionibus cavendum est, ne nimis scriptorem arte logica usi corrigamus neve quid voluerit auctor neglegamus perquirere idque in Catone eo magis, quod et ex Laelio (§ 6) et ex epistulis ad Atticum datis cognoscimus illum librum non solum a Cic. ipso (ad Att. XIV, 21, 3), sed etiam ab Attico (ad Att. XVI, 3, 1; 11, 3) iterum et saepius perlectum ac laudatum esse. In iudicando scriptore primum locum tenere debet non ars critica, sed interpretatio ea, quae consilia auctoris perscrutari quam diligentissime studet. Itaque Cic. quare saepius eadem repetiverit neque semper viam sit persecutus rectam in sententiis annectendis, immo huc illuc sermonem deflexerit, ipsum rogemus.

In § 3 legimus Cic. sermonem omnem tribuere non Tithono, sed M. Catoni seni, non Tithono, quod parum sit auctoritatis in fabula, Catoni seni, non alii viro Romano, quo maiorem auctoritatem habeat oratio (cf. adn. Moorii; falso

gitur et Polle l. c. verba „quod — fabula“ eicere vult, et Otto l. c. p. 96 illum recte refutans hunc locum retractatum esse arbitratur). Idem exponitur in Laelio (§ 4) verbis „In Catone maiore Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur quam eius, qui et diutissime senex fuisset et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset“. Ex his locis apparet Tullium id agere, ut sermonem graviorem reddat, cum tribuat eum Catoni seni, ut qui ipsius senis factis, non solum exemplis aliorum virorum optime senectutem defendere possit. Propterea Catonem facit, ubicumque potest, afferentem ea, quae ipse in senectute exsequitur (§§ 18; 21, 5/8[1]; 26, 11/15. 28, 4/5, 7/8; 30 fin.; 32; 33 init.; 38, 6sq. 45, 1/6; 51 init.; 54; 55 init.; 62, 3sqq. 82, 6sqq.; 83, 5; 84, 8sqq.). Atque revera Catonem ipsum semper exemplum capitale praebere lepide indicatur verbis § 45 „ad me ipsum iam revertor“ (cf. § 30 fin. § 32 init.). Primum hoc Cic. esse propositum, quod in compositione dialogi observandum est, cum alii iam viri docti perspexerunt tum Hirzel egregie expressit verbis his (Der Dialog I, p. 546): „Die Gedanken der Dialoge werden in den Hauptpersonen zugleich veranschaulicht: das gesegnete Alter in Cato, die Freundschaft in Laelius und Scipio.“

Sed ipsis ex iisdem locis, quibus Cato se ipse commemorat, haurire licet alterum subsidium, quod Cic. suppeditat ad dialogi compositionem intellegendam. Et in § 30sq. et in § 82 Cato se defendit, quod more senum de se ipse glorietur. Neque vero solum his locis, sed totum per dialogum uberrime enarrat de rebus a se gestis (cf. locos modo enumeratos, praeterea §§ 14, 10sqq.; § 46. §§ 54, 62, 75 ipsius libros affert). Propositum igitur alterum habet Cic., ut sermone ipso senis mores depingat eodemque apte utitur ea mente, ne semper arte se adliget legibus componendi sententiasque conectendi, quibus in disputationibus subtilioribus atque ex intima arte depromptis cursus orationis cohiberi debet. Hinc explicandum est in § 42 Catonem factum ipsius censoris, nondum senis afferre, quod nonnisi leviter cum verbis antecedentibus cohaeret, non ut Lütjohann vult (l. c. p. 500) inde, quod a Cic. illud exemplum postea insertum sit. — Illo cum more senili arte cohaeret indoles altera, quam eandem Tullius consulto describit: Cato, ubicumque potest, affert eos viros, quos ipse vidit vel audivit, velut in § 7 aequales suos, in §§ 10/12 Qu. Maximum, patronum suum (cf. §§ 15, 39, 61),

---

[1]) Utor numeris editionis Moorii s. c.

praecipue saepius commemorans, quomodo ille Tarentum receperit (§§ 10, 1, 8; 11, 1. cf. 39, 6, 7), cui facto ipse admodum adulescens interfuerit, ipsius filium (§§ 15, 68, 84), in § 14, 10 Ennium aequalem suum („mortuus est, cum ego LXV annos natus legem Voconiam magna voce et bonis lateribus suasissem"), in § 19, 4sq. Scipionem „anno ante me censorem mortuum", in § 24, 14 vicinos et familiares, in § 29 Scipiones et L. Aemilium, in § 39 „veterem orationem Archytae" („quae mihi tradita est, cum essem adulesceus Tarenti cum Qu. Maximo") in § 43 dictum Fabricii, „quod ipse audiverit e maioribus natu", in § 44, 10 C. Duilium, quem „saepe viderit puer", in § 49 C. Galum („videbamus vivere" „nobis praedicere"), in § 50 Livium Andronicum („vidi etiam senem Livium etc."), Scipionem, „qui his paucis diebus pontifex maximus factus sit", M. Cethegum („videbamus etiam senem"), in § 55 M'. Curium („cuius ego villam contemplans — abest enim non longe a me"), in § 61 Atilii elogium, P. Crassum, M. Lepidum, in § 78 Pythagorae doctrinam, quam ipse audiverit, in §§ 82 sq. affines Scipionis minoris. Itaque cum Cic. in animo habuerit ipso sermone ostendere senis esse proprium omnia, quae ipse viderit vel audiverit, enarrare, Lütjohann ex verbositate ineuntis partis III concludere non debuit hanc partem retractatam esse magna cum levitate, praesertim cum etiam aliis in partibus eadem verbositas atque multo maior inveniatur. Cur non offensus est exemplo Maximi (§ 10sqq.) neque expresse cum prioribus conexo et multo magis quam oportebat explanato? Consulto autem Cic. id fecisse inde apparet, quod et in § 13 addidit „quorsum igitur tam multa de Maximo?" et in § 44 „quorsum igitur tam multa de voluptate?" — His ex locis iam perspicuum est Tullium etiam tertiam senis consuetudinem ipso sermone depingere velle, quam ipse in § 55 indicat verbis „senectus est natura loquacior". Hoc igitur ex proposito explicanda sunt vocabula iisdem vel finitimis in enuntiatis saepius iterata, non ex codicibus corruptis aut ex securitate auctoris, id quod Meissner et Lütjohann suspicati sunt. Totum enim per dialogum, modo diligentius legeris librum, voces eisdem locis repetitas tam saepe invenies, ut pauca tantum exempla eaque maxime insignia singulis ex partibus afferre mihi liceat: § 16 fin. consulatus: § 17 „consilio auctoritate sententia"; cf. § 19 „consilio ratione sententia". § 29 „adulescentiae — senectutis — adulescentia — senectuti"; § 31 „praedicet — praedicans": § 39 vox voluptatis saepissime iterata (itaque post „cuius" vox „voluptatis" cum Lütjohanno l. c. p. 503 adn. l. includi non potest; cf. § 56 „dictatorem — cuius dictatoris"): § 45 „sodales — sodalitatibus — sodalibus"; § 74 „meditatum —

meditationis"; § 84 „vixisse — vixi — vita" „proficiscar — proficiscar"; „§ 85 „error — erro — errorem". Quae loquacitas non minus elucet ex sententiis iisdem non solum in diversis partibus, sed etiam in eadem parte repetitis. Hanc consuetudinem senilem ne quis praepropere sibi crimini det, Cic. ipse expresse indicat nonnullis locis. Solonis dictum et in § 26 et in § 50 affert hoc loco adiectis verbis „ut ante dixi". Fructus senectutis esse memoriam ante partorum bonorum non solum in IV parte saepius dixit (§ 71, 69 cf. 78), sed etiam aliis de causis in § 9 et 62 commemoravit; neque vero haec iteratio eum effugit, quippe qui in § 71 adiciat „ut saepe dixi". Similitudo a scaena petita quater (§§ 5, 64, 70, 83, cf. 65) adhibetur, quamquam aliis locis modo alio, neque cum Meissnero (l. c. p. 216 sq.) initium § 70 interpolatori tribuendum est. Item cursus aetatis duobus locis (§§ 33, 76) in medium profertur atque ad sententias utriusque paragraphi accommodatus est. Itaque caveas, ne Cic. praeterisse credas paene eadem repetita esse in §§ 27 et 33 eiusdem partis secundae. Quod in agricolarum vita laudanda sententiae iteratae sunt saepius, Cic. hoc ipso loco expresse dicit: „haec ipsa quae dixi sentio fuisse longiora. Ignoscetis autem; nam et studio rusticarum rerum provectus sum et senectus est natura loquacior". Consulto igitur illas iterationes non omisit, consulto Catonem facit a via recta aberrantem, id quod praecipue ex agri culturae laude apparet (§ 55 narratiuncula de M'. Curio allata), plura magis quam oportebat enarrantem, nonnulla, quae cum proposito non nisi leviter cohaerent, afferentem. Atque ne quis se levem in componendo libro fuisse suspicetur, ipse digressiones saepius indicat. Quae consuetudo optime illustratur paragrapho 67, ubi de iuvenis morte locutus senes rem publicam sustentare ex parte I (§ 20) repetit, tum autem pergit: „sed redeo ad mortem impendentem." Item in parte II § 31 digressionem esse ipse dicit verbis „sed redeo ad me". In parte I §§ 25 et 26 init. egressio est, quam iterum verbis „sed videtis" ipse indicat. Iam satis multa exempla allata sunt loquacitatis Catonis: constat Cic. id agere, ut senis indolem ipso sermone depingat ac describat.

Sed dixerit quis in Tuscul. Disputat. quoque reperiri et repetitiones (e. gr. l. I, §§ 34, 117, l. II, §§ 35, 53) et digressiones (l. I, § 81, l. IV, § 63/66) neque deesse copiam et ubertatem verborum. At haec multo crebrius inveniuntur in Catone maiore quam illis in disputationibus, in quarum initio (I, § 7) Cic. ipse dicit se velle „copiose et ornate" disserere. Quod autem similitudo quaedam generis dicendi inter illa opera est, inde explicandum est, quod Cic. Catonem non ita, ut ille priscus

vir Romanus et locutus est et scripsit revera, disserentem inducit, sed suum ipsius morem dicendi in eum defert; qua de re iam Moore l. c. in introduct. § 21 recte iudicavit. Id praecipue perspicuum est ex initio l. II Tuscul. Disput. (§ 20): „postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem (cf. l. I, § 7), studiose equidem utor nostris poetis; sed sicubi illi defecerunt, verto ipse multa de Graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret oratio“. Nempe totum per Catonem loci poetarum Romanorum afferuntur (versus Ennii in §§ 10. 14. 16. 50, 10; 73, Naevii in § 20, Caecilii in §§ 24. 25. 36), quae consuetudo certe longe a Porcii moribus abhorret (cf. Moore l. c. § 20), quamquam non usque eo processit Cic., ut Graecorum versus poetarum illi tribuat (in § 73 Solonis elogium in Tuscul. Disput. I, § 117 translatum non vertit ad verbum). Neque vero id dissimulavit Cic., cum in fine § 3 dicat „iam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam“. Suum ipsius igitur non solum morem dicendi, sed etiam sententias in Catonem defert: tertium hoc propositum in componendo libro habuit. Hoc autem consilio coactus est, ut Catonem multa loquentem fingeret, quae ab indole illius Graecorum inimicissimi plane abhorrerent, praecipue locos Platonis et Xenophontis (§§ 78. 59. 79/81) et ea, quae in § 77 Catonem „ratione ac disputatione impulsum“ philosophantem de immortalitate animae fingit. Hac de re Moore in introduct. cap. III „the ideal Cato“ optime disputavit (cf. ea, quae ad singulas §§ ubique adnotat). Recte idem vir doctus attulit Tullium hac in re secutum esse Xenophontis Cyrupaediam, in qua „Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperii“ (ep. ad Qu. fr. I, 11, 23) eodem modo atque Cato non „ad historiae fidem, sed ad effigiem Cic. ipsius scriptus“ est; neque enim neglegendum est illo ex scripto locum in Catone verti (§ 79. cf. etiam ad § 59 init. verba sequentia huius epistulae „quos quidem libros (Xenophontis) non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat“). Attamen Cic. illud vitium ne sibi quis crimini det, ipse excusat duobus locis, quibus Catonem senem litteris Graecis studuisse monet (§ 3; 26, cf. 38)[1]). Altero loco (§ 26) Catoni ipsi verba tribuit „litteras Graecas didici — ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis“, ut

---

[1]) Similiter in „Academicis“ Catulum et Lucullum de rebus acutis ab illis alienis disputantes fecit atque tantopere contra historiae fidem, ut hunc dialogum commutare vellet, id quod ex epistula ad. Att. (XVI, 19, 5) data cognovimus. Cf. etiam quae ad. Att. (XIV, 16, 3) de personis libri „de oratore“ scribit.

excuset, quod permulta exempla attulerit Graeca (cf. ind. pers. ed. Moorii, p. 185). Etiam morem ipsum, quem totum per dialogum videmus adhibitum, singulas sententias quam saepissime exemplis illustrandi ad Catonem detulit. Iam in libris antea scriptis id fecit cum in Hortensio (fg. 27, 48 Müller) et in Consolatione (fg. 15 Müller) tum in Tuscul. Disput. Hoc in opere, quare sermoni ubique inserat exempla, ipse explicat verbis (l. III, § 56) „duplex est igitur ratio veri inveniendi — nam aut ipsius rei natura, qualis et quanta sit, quaerimus aut a disputandi subtilitate orationem ad exempla traducimus".

Sed ut in versibus inserendis (cf. supra p. 10), ita in exemplis afferendis Cic. veritus est priscum illum Catonem facere ea loquentem, quae nimis a moribus illius abhorrerent. Ratio enim eligendi exempla in Catone alia est atque in Tuscul. Disput. . Nam cum hic, quamquam in § 74 l. I verbis „sed haec (sc. Socratis enuntiata) et vetera et a Graecis; Cato autem etc." et in § 33 l. I verbis „ne et vetera et externa (sc. exempla Themistoclis et Epaminondae) quaeram, mihi (sc. licuit esse otioso)" indicat se id agere, ut pro Graecis viris et veteribus Romanos suae aetatis afferat, tamen alias externa exempla adhibere adeo non vereatur, ut paene plura ex Graecorum quam ex Romanorum historia petita sint, in Catone contra pro Graecis Romanos viros inducit atque simulatque exempla protulit externa, confestim asserit domestica; velut in §§ 13/14 post Platonem Isocratem Gorgiam affert Ennium; in § 21 post Themistoclem Catonem, in § 24 post Graecos enumeratos „rusticos Romanos", in § 26 post Socratem Catonem; in § 27 post Milonem Sex. Aelium alios, in § 30 post Cyrum Metellum, in § 31/32 post Nestorem Catonem; in § 64 post Lacedaemonios augures Romanos; in § 73 post Solonem Ennium; cf. § 20 verba „quod si legere voletis externa", § 81 „Cyrus quidem — nos si placet, nostra videmus" [1]). Praeterea Cic. fingit Catonem, ubicumque fieri potest, eos viros afferentem, quos ipse noverit vel viderit, ea mente, id quod supra (p. 7 sq.) exposuimus, ut senis mores depingat. Item facit Catonem senem de temporum ratione uberius compluribus locis enarrantem (§ 10, 14 fin. 16 med. 19. 32. 39, 41 fin. 42. 43. 60 med.) eo consilio, ut verba § 21 de memoria senili dicta lepide sermone ipso illustret (cf. p. 16). Denique notandum est Cic. facere Catonem saepius eos viros afferentem, qui Scipionis et Laelii

[1]) In l. II „de divin." § 8 se id agere, ut pro Graecis viris Romanos afferat, Cic. expresse dicit verbis „quodque me maxime delectat, plurimis nostris exemplis usus es (sc. Quinte, in l. I)". cf. Dyroff, Caesar's Anti-Cato und Cic. Cato (Rhein. Mus. Bd. 63, 1908, p. 592 sq.).

affines sunt aut eis noti. Hoc consilio inducit Ennium („quem probe meminisse potestis" § 14), L. Aemilium Paulum, avum Scipionis (§§ 29. 75. 83), L. Aemilium Paulum Macedonicum, socerum filii Catonis (§§ 15, 82), Cn. et P. Scipiones (passim), Catonis filium (§§ 13, 68, 84), C. Galum, familiarem patris Scipionis (§ 49), M. Cethegum (§ 50 „videbamus"), P. Crassum, M. Lepidum (§ 61), Diogenem Babylonium (§ 23 „quem vos etiam vidistis Romae"). Hac ex perscrutatione discimus Cic., quamquam ipsius et genus scribendi et sententias Catoni tribuit neglectis veris illius moribus, tamen speciem veritatis diligenter servasse, cum totum sermonem temporibus eis, quibus colloquium fieri fingit (cf. § 14, 8; Lael. § 11; cf. Moore, introduct. § 3) ubique adaptavit. Id effecit praecipue eis exemplis, quae Catonem ex ipsius vita sumentem facit. Hoc consilio in § 18 fin. affert etiam illud Catonis de Carthagine delenda dictum et in § 19 init. verba „quam palmam (sc. Carthaginis excisae) utinam di immortales, Scipio, tibi reservent" atque fingit Catonem saepius de temporibus virorum allatorum disputantem (§ 10. 11. 14. 19 init. praecipue § 16 „atque haec Appius egit — et tamen sic a patribus accepimus"), ut illum in historiae studio versatum esse admoneat[1]). Quae cum ita sint, fieri potuit, ut Cic. ipse scriberet in Lael. § 4: „ipse mea legens sic adficior interdum, ut Catonem, non me loqui existimem". Simul autem ex his verbis elucet eum propositum habere, ut ipsius sententias demonstret.

Hac in re perscrutanda, Cic. facere Catonem ipsius sententias proferre, Stettner l. c. versatus est. Recte animadvertit (p. 873) verba praefationis (§ 2) „. . . ut libri confectio non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et iucundam" congruere cum Catonis verbis (§ 85 init.) „nec (senectus) solum non molesta, sed etiam iucunda". Item recte attulit ad laudem agricolarum vitae (§ 51) locum ex epistula ad fam. (XVI, 23) sumptum, praesertim cum complures sententiae huius partis minime ad Catonis mores quadrent (cf. Cato, de agri cultura I, 1; Moorii adn. ad § 51, 3, 5)[2]), ad § 44 sqq. epistulam ad Atticum datam (XIV, 30), ad § 84 init. epistulam ad fam. (IX, 17) datam (cf. Tusc. Disp. I, 75), ad § 28 fin./29 init. locum ex

[1]) Adnotandum est Cic. illis temporibus, quibus Cato maior scriptus est, multum in Catonis scriptis legendis versatum esse; cf. Baumgart, Unters. zu Reden d. M. Porcius Cato, Diss. Bresl. 1905, p. 24. „Cic. muß in der Zeit zwischen Abfassung des de oratore u. Brutus (55/46 a. Chr.) ein lebhaftes Interesse für Reden Catos gefaßt haben; 44 verfaßte er den Cato maior, der gewissermaßen als eine Frucht seiner Studien über den alten Redner zu betrachten ist".

[2]) cf. de off. I c. 42, § 151 fin.

libro II, § 4 „de divin.“ sumptum, ad Nestoris exemplum § 31 epistulam ad fam. (IX, 14) datam. Ad ea, quae de conviviorum deliciis dicuntur, praecipue ad fin. § 45 afferri possunt ea, quae Cic. in initio anni 43 a. Chr. n. Paeto scripsit (ep. ad fam. IX, 24, 2). Attamen ille vir doctus nimium contendit, cum dicat Catonem maiorem „eine politische Tendenzschrift“, quod opusculum Cic. post Caesarem interfectum scripserit, ut ipse auctoritatem illo regnante amissam in re publica recuperaret (l. c. p. 870). E. gr. quod arbitratur L. Brutum in § 75 commemoratum spectare ad D. Brutum, Caesaris sicarium, neglexit etiam in Tusc. Disput. l. I, § 85 simili modo Brutum allatum esse. Praeterea cum Moorio (p. 41/43), cuius librum Stettner non legit, mihi persuasi Catonem ante Caesarem mortuum scriptum esse atque illius viri docti disputatio sagacior quam verior videtur mihi esse[1]).

Quoniam Cic. proposita cognovimus, iam licet, quomodo dialogum composuerit, perquirere neglectis vitiis eorum virorum, qui nimis rationem logicam adhibuerunt. Qua in inquisitione si locos non satis perpolitos invenerimus, non debemus acquiescere in levitate Cic. statuenda: porro quaerendum est, qua ex re orta sit. Quare iam hac in parte significabimus eos locos, ubi spes est ex compositione aliquid inveniendi de fontibus Cic.

Cic.[2]) Catoni more, quo saepissime in libris philosophicis usus est, praefationem praemittit, in qua Atticum ut in epistula alloquitur usus lepide versibus Ennii (§ 1), deinde quare ei librum dedicet exponit (§ 2), denique qua sit usurus methodo, explicat. §§ 2 et 3 non retractatas esse iam supra (cf. p. 7) ostendimus. Non falso videtur Baumgart (l. c. p. 25) dixisse: „Es hat sicher einen tieferen Grund, wenn Cic. seinen Cato maior dem Atticus widmete: als Dank für seine Unterstützung als Buchhändler hat er ihm den Cato maior gestiftet.“ Fortasse rectius dixisset illam fuisse causam praeter causam in § 2 a Cic. ipso indicatam.

Disputatio ipsa dilucide disposita est. In §§ 4/14 in universum de senectute disputatur, deinde dispositione in § 15 indicata quattuor vituperationes senilis aetatis refutantur, denique paragrapho 85 totus dialogus concluditur.

---

[1]) Idem iudicat Fr. Wilhelm („Die Schrift des Iuncus περὶ γήρως und ihr Verhältnis zu Cic. Cato maior.“, programm nr. 263 1911 vom König-Wilhelm-Gymnasium zu Breslau p. 1 adn. 11).

[2]) In sententiarum conexu perquirendo R. Heinze complura mihi suppeditavit.

In initio eius partis, quod exordium nominare possumus, Scipio et Laelius cum Catone colloquuntur. Scipioni admiranti (cf. § 4, 6; § 5, 1; § 85, 1. cf. verba praefationis § 3, 6 „admirantes“) Cato respondet sapientem hominem sequentem naturam ducem molliter ferre senectutem, refutans querelas senum stultorum. His in §§ (4 sq.) omnia arte inter se conexa sunt. In § 6 Laelius loco Scipionis sermonem continuat atque ut plura dicat, Catonem rogat. Hunc facit Cic. in §§ 7/8 eadem disserentem, quae Plato Cephalum Socrati respondentem inducit in l. I „de republica“ p. 328 E sqq., idque ita, ut locum illum ad mores Catonis senis, qui libenter ex sua vita narrat, diligenter accommodet (§ 7 „Salinator — Albinus, nostri fere aequales“). Notandum est Tullium hanc partem cum prioribus bene particula „atqui“ coniunxisse atque cum Laelium Scipionis loco loquentem fingat, transitum ad Platonis locum factum occultavisse. Neque vero deest conexus cum sequentibus verbis: „aptissima arma“ opponuntur levaminibus senectutis a Laelio enumeratis, id quod perspicuum est ex vocabulo „aptissima“ in initio § 9 posito. Praeterea cum antea senectutem non gravem esse ostenderit, in § 9 eam iucundissimam esse contendit.

Deinde Cato ad illustranda ea, quae dixit, plura affert exempla (§§ 10/14). Primum de Maximo ipsius patrono narrat atque narrat uberius, quam oportet, senilem in modum (cf. § 13 init. „quorsus haec tam multa de Maximo?“ cf. Morii adn. ad. § 10, 1). Lepidissime Cic. senis morem depingit etiam eo, quod scribit „eum qui Tarentum recepit“; optime enim Cato memoria tenuit, quomodo ille receperit Tarentum, cui facto ipse adulescentulus adfuit (cf. §§ 10, 7, § 11; 39. Otto l. c. p. 103 recte illam sententiam defendit ab iis, qui eam eicere volunt). Hoc exemplum bene disposuit disputans de rebus gestis primum in bello, deinde in toga. Ad priora nulla particula annexuit („ego“), sed verbis „nec senectus mores mutaverat“ et initio § 13. Tum adicit transitu eleganter facto („nec tamen omnes possunt esse Scipiones. — Est etiam — placida — senectus“) exempla senectutis placidae; atque primum affert viros Graecos, deinde sententia prima § 14, qua aliis verbis ad § 9 spectantibus („artes exercitationesque virtutum“ cf. „sua vitia suamque culpam“) repetuntur ea, quae in fine § 7 dicta sunt, apte adiuncta virum Romanum, Ennium, ut quem Cato noverit et cuius modo mentionem fecerit (§ 10).

Vidimus in exordio omnia diligenter inter se conexa esse. Quod in Maximi et Ennii exemplis plura insunt, quae cum argumento dialogi non cohaerent, explicandum est ex loquacitate senis, quam depingendam Cic. sibi proposuit.

In § 15 Cic. disputationis dispositionem praebet. Haec § continuat non totam § 14, sed primam sententiam „sua enim vitia insipientes — in senectutem conferunt“; ad verba „cur senectus misera videatur“ supplendum est „iis, qui sua vitia in senectutem conferunt“. Particula „etenim“ annectitur. Nam „hanc per particulam Cic. saepe transgreditur in adiungendam rei expositionem, ubi Germani dicunt „nämlich“. Componuntur saepe verba, quae expositionis conatum significant“ recte Handius explicat in Tursellino (vol. II, p. 541 cf. Moorii adn.). Negari tamen non potest § 15 non nisi leviter cum prioribus coniunctam esse. Neque vero in eo valde haeremus, cum supra (p. 9) viderimus saepius egressiones in Catone consulto factas esse. Accedit, quod nusquam Cic. studuit partes singulas inter se artius copulare, immo semper ad hanc § 15 eos, qui librum legunt, revocat (§§ 27; 39; 65). Id quidem spectat, quod Moore recte animadvertit ad § 15, 7, ut alio semper modo partes singulas incipiat, secutus leges artis rhetoricae.

Contra primum senectutis crimen Cic. disputat senes in re publica gerenda[1]) animo multa eaque maiora quam iuvenes viribus exsequi posse, cum consilia egregia dent (c. VI/§ 20). In initio ponitur sententia ipsa adversarii simili modo atque in Tusc. Disp. auditoris sententia e. gr. in l. I, § 9 „malum mihi videtur esse mors“ (cf. II, § 14. III, c. 4. V, § 12). Quam ad refellendam primum quaestionibus rhetoricis utitur, deinde pluribus viris Romanis enumeratis, inter quos Maximus antea commemoratus primum locum tenet, secundum L. Paulus, pater Scipionis et socer filii Catonis, de facto senis Appii Claudii, ut qui fuerit caecus, uberius enarrat (§ 16), tum recta via adversarium refutat (§ 17) atque adicit similitudine lepida usus senem consilio, quo augeri soleat, multo maiora et meliora facere quam adulescentem, denique Catonem more senili de se gloriantem fingit figura ironiae („nisi forte“) adhibita neque occasionem praetermittit digressionis inserendae (§ 18 fin. § 19 init. cf. supra p. 12), cui res ab avo Scipionis gestas adiungit. Mirum non est tum (§ 19, 8, 9) repeti sententiam ultimam § 17 idque simillimis verbis. Nam perspicuum est id, quod de origine nominis senatus dicitur, multo aptius cum fine § 17 coniungi posse, ubi senes prudentia „augeri“ legimus. Videmus igitur Catonem de se ipsum gloriatum paululum ab ordine sententiarum aberrasse, qua re verba illa repetere cogitur.

[1]) Nam verba „res gerere“ spectant saepissime ad rem publicam administrandam (cf. § 17 init. Merguet, lex. Cic. orat. II, 414ff.).

Optime post senatus exemplum, § 19, 9/10 afferuntur Lacedaemoniorum „amplissimus magistratus“ et exemplum externae gentis a stultis adulescentibus labefactatae exornatum versibus Naevii.

§§ 15/20 Cic. contra I. senectutis crimen disputavit senes tantum abesse, ut a rebus gerendis abstrahantur, ut contra in re publica gerenda „multo maiora et meliora“ animo facere possint quam adulescentes viribus, cum „temeritas florentis aetatis sit, prudentia senescentis“ (cf. § 17 fin.). Contra hanc sententiam (cf. § 17 fin. „consilio ... augeri senectus solet?“) in § 21 adversarius inducitur disserens memoriam in senectute minui i. e. facultatem ipsam rei publicae gerendae minui; nam cum indolem animi tum omnem actionem memoria contineri antiqui putabant (cf. R. Heinze, Lucrez l. III, Leipz. 1897, p. 195). Cic. concedit adversario memoriam minui, „nisi eam exerceas aut si sis natura tardior.“ Eandem manere posse demonstratur primum exemplo Themistoclis, quod non ita recte affertur, cum ex locis similibus (cf. p. 37) appareat id non de Themistocle sene dictum esse, deinde exemplo Catonis, qui oratione ipsa ostendit se „non modo eos novisse, qui sint, sed eorum patres et avos“. Post hos viros in re publica versatos, de quibus in §§ 15/20 agebatur, inducit senem eum, qui thesaurum obruit, iuris consultos, theologos, philosophos (§ 21 fin./§ 22 init.). Tum demum (§ 22, 3 sqq.) directe contra obiectionem adversarii disserit: „manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria“ atque divisionem inter viros honoribus functos (§§ 15/21) et privatos (§ 21 fin./23: cf. § 24 init.) similiter atque in § 13 factam indicat. Simul autem neglegendum non est loco vocabuli „memoria“ (§ 21 init.) poni vocem „ingenium“, quo modo plus demonstratur, quam adversarius obiecit. Ingenium etiam (scilicet non solum memoriam) manere ad summam senectutem illustratur narratiuncula de Sophocle uberius prolata et poetis ac philosophis compluribus enumeratis, qui diutissime vixerunt (de ordine nominum, cf. Moorii adnot.).

Verbis § 24 „age ut ista divina studia omittamus“ Cato transit ad actionem „rusticorum Romanorum“ (§ 24/25), quo argumento tertio refutatur a rebus gerendis senectutem abstrahere („quibus absentibus — fructibus“). Praeterea ad obiectionem illam adversarii spectatur, cum in initio cap. VIII consulto repetatur (cf. § 20 fin.) laus prudentiae senis „alteri saeculo prospicientis“. Quam commode Cic. pro Catonis studio rerum rusticarum, quo ut ipse in § 55 dicit, provectus est, ad hanc rem orationem convertit per formulam „age ut ista — omittamus“!

In cap. VIII. Catoni cum in § 24 tertium argumentum refutationis confirmaverit versu Caecilii, eiusdem poetae loci duo alii occurrunt, quibus senectus vituperatur. Cic. his versibus, quibus a via recta partis primae abscedit, eleganter transgreditur ad extremam defensionem criminis primi: senes adulescentibus praecipiendo „quo opere nihil esse iucundius“ (§ 29), a rebus gerendis non abstrahi senectute (§ 26 init.). Atque verbis „nec minus intellego me vobis quam mihi vos esse iucundos“ lepidissime indicat Catonem hoc ipso sermone, cum adulescentes docendo in senectute res agat, adversarii reprensionem refutare (cf. § 28 „possis tamen Scipioni et Laelio praecipere“). Ita fit, ut oratione de senectute habita disputatur pro senectute.

Adnotandum est, quanto artificio Cic. in medium protulerit quattuor primi opprobrii argumenta, quae semper alia ratione inducit.

Verbis „sed videtis etc“ finem facit primae partis: verbis „ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa et semper agens aliquid et moliens“ adversarii sententiam in contrarium convertit, verbis „tale scilicet, quale cuiusque (virorum in re publica versantium, privatorum, rusticorum, adulescentes docentium) in superiore vita fuit“ summam facit eorum, quae contra opprobrium primum attulit.

Ad extremum Cato commemorat eos, „qui etiam addiscunt aliquid“, afferens Solonis versum, ipsius cupiditatem discendi literas Graecas, Socratis senis studium artis musicae. Hac sententia summum gradum senectutis ab opprobrio primo defendendae consecutus Cic. apte primam partem ad finem perducit.

Perscrutatione partis primae iterum plane confirmantur ea, quae supra de Cic. propositis exposuimus eademque apparet hanc partem diligentissime compositam esse. Unum etiam, quod adhuc omisi, addam saepius orationi interposita esse frustula, quae nostro more uncis includimus (§§ 3. 5. 9. cf. 44. cf. ed. Moorii). Idcirco falso viri docti nonnulli ut Lahmeyer (ed. IV Catonis 1873) et Lütjohann (l. c. p. 503 adn. 1.) verba „discebant enim fidibus antiqui“ (§ 26) damnaverunt, quae iam Otto (l. c. p. 103) alia de causa recte defendit (cf. Tusc. Disp. I, 2, 4).

Particula „nec“ pars II. ad finem I. partis (§ 26 med.) arte annectitur. Contra alterum senectutis opprobrium Cato primum (§ 27/29 med.) ita disputat, ut adversario concedat senectutem corpus facere infirmius, attamen neget hoc argumentum valere,

cum infitietur oportere eum, qui viribus corporis careat, vires corporis desiderare. (cf. § 33 „non magno desiderio tenebitur virium“): „decere eis, quae adsint, viribus scilicet corporis uti et agere pro viribus“; non nisi eum infirmitatem corporis senilem maerere, qui ut Milo Crotoniata „nugator“ totus corpus sit, contra homines tales, quales Aelius, Coruncanius, Crassus iuris consulti fuerint, quos post Graeculum illum enumerare viros Romanos vir vere Romanus confestim properat, viribus uti animi easque „usque ad extremum spiritum provehi“. Duas igitur argumentationes Cic. affert contra secundam vituperationem: primam vires corporis sufficere ad agendum aliquid, alteram iam in I parte adhibitam plus tribuendum esse facultatibus animi (cf. vocem „prudentia“, quae consulto in fine § 27 posita est, et verba § 28 init. „non ingenii solum, sed virium“). Has duas argumentationes per totam II. partem adhibitas videbimus. In § 28 oratoris munere senem fungi non posse Cato ipse obicit; quae verba ad antecedentia vocabulis „non ingenii solum, sed etiam — virium“ annexa sunt. Contra hanc obiectionem dicit non omnes vocem canoram in senectute amittere de se ipse, qui LXXXIV annos natus est, senum more glorians (cf. § 14 „cum ego LXV annos natus legem Voconiam magna voce et bonis lateribus suasi“), praeterea „quietum sermonem“ senis multum valere, denique siquis ne ad id quidem exsequendum valeat, tamen „tales“ vires adesse, ut adulescentes instituat, quod opus praeclarissimum (§ 29 init.) illustrat exemplis ipsius et affinium Scipionis (cf. quae supra p. 17 ad § 26 exposui). Prima igitur argumentatione Cic. hac in § utitur: senem eis, quae adsint, viribus contentum esse posse.

Deinde eadem adhibita argumentatione in §§ 29 fin./34 recta via impugnat crimen secundum ipsum argumento multo graviore. Ad exempla enim eorum, qui tales tantum vires habeant, ut adulescentes instituant, asserit isdem vocabulis iteratis („vires defecerint“ „defectio virium“) esse etiam senes eos, qui cum adulescentes fuerint temperantes, viribus fruantur aut iisdem, quibus in iuventute, aut satis magnis. Quam ad sententiam illustrandam affert primum Cyrum, deinde Metellum ipsi puero cognitum, qui admodum senes iisdem fere viribus quibus in adulescentia usi sint (§ 30), tum (§§ 30 fin./33) postquam Nestoris exemplo (§ 31) consuetudinem senilem sui praedicandi excusavit, uberius ipsius bonam valetudinem ad opera multa exsequenda satis magnam idque verbis „vellem equidem idem possem gloriari quod Cyrus“, quibus cum se ipsum iam non iuvenis robur habere ut Cyrum et Metellum concesserit, oportuit eum alio se modo defendere (§ 33) — quare pergit in § 33

„At minus habeo virium quam vestrum utervis"; quam contradictionem ipse afferens refutat primum repetens ex initio huius partis (§ 27 init.) satis esse pro suis quemque viribus niti, deinde indidem iterans (§ 27 med. fin.) plus valere animi quam corporis vires, „denique" disputans non debere bona praeterita requiri, cum natura bona sua cuique aetati recte attribuerit — postremo Masinissam, ut demonstretur „temperantia sc. in iuventute exercitata (respiciunt haec verba ad initium huius particulae § 29 fin.) etiam in senectute conservari posse aliquid pristini roboris"; quibus verbis haec particula apte concluditur. Neglegere non debemus in § 33 sententias ex initio partis II. repetitas alio modo afferri: cum illa in particula (§§ 27/29 med.) vires corporis minui in senectute concedatur, in § 33 vires seni relictae defenduntur ab adversario, qui ut summum robur hominis senex habeat postulat, idque ita, ut ille ad absurdum deducatur verbis „ne vos quidem — habetis" et legibus naturae allatis, quomodo illud exemplum in maius tollitur. — Tum Cato gravissimum argumentum affert in cap. XI: ut senex vires corporis non servaverit, opprobrium secundum rectum non est, quoniam „vires a senectute non postulentur"; itaque „non modo quod non possint, sed ne quantum possint quidem, senes cogi", ut Masinissa summa in senectute plus agebat quam postulatur; apertum enim est sententiam „ne sint in senectute vires" (Germanice vertas „angenommen daß nicht", non „zugegeben daß nicht") spectare ad verba antecedentia „potest igitur exercitatio conservare aliquid pristini roboris".

Contra hanc secundam particulam (§§ 29 fin./34) adversarius recte obicit multos esse senes plane imbecillos ad munus ullum exsequendum. Ad hanc obiectionem Cato respondit illud opprobrium „commune valetudinis" esse, id quod illustratur exemplo P. Cornelii Scipionis eius, qui Scipionem adoptavit (§ 35). Ne valetudine mala senectus misera fiat, Cato apte post illas sententias monet Laelium et Scipionem, ut senectuti „tamquam morbo" resistant exercitationibus cum corporis tum animi.

Hoc modo Cic. eleganter transit ad alteram argumentationem adhibendam (§ 36/38), quam iam in § 27 (et inde in § 33 repetitam) eum indicavisse vidimus (cf. p. 18). Exponit enim animo et menti, quae exstinguantur senectute, multo magis subveniendum esse quam corpori, praesertim cum corpora (scilicet senum, cf. Otto, l. c. p. 99) „exercitationum defatigatione ingravescant, animi autem se exercendo leventur"; quam ultimam sententiam uberius illustrat et Caecilii versus refutans („senectutis inertis, somniculosae, ignavae" i. e. eius, quae animum

non exerceat) et Appii Claudii Caeci, qui „intentum animum tamquam arcum“ habuerit, exemplum iterum (cf. § 16) afferens. Cuius auctoritatem uberius describens praecipue sententia § 38 „sic enim senectus honesta est etc.“, qua contra Caecilii versum disputat (cf. accusationem senectutis in § 7 allatam, „quod spernerentur ab iis, a quibus essent coli soliti“), Cic. aliquid a recta via Catonem aberrantem facit; tamen ad hanc egressionem arte annectit sequentia verba, quibus directe contra secundum opprobrium disputatur: eum, qui Appii exemplum sequatur, corpore senem esse posse, nunquam animo. Haec illustrat ipsius studio litterarum uberius ad extremum expresse dicens se in illis „curriculis mentis“ (nescio an haec vox respiciat ad Milonis dictum § 27, 6 „athletas se exercentes in curriculo“) desudantem corporis vires non magnopere desiderare. Deinde iterum ipsius senis res eas, quae nunc in re publica gerit, affert similibus verbis atque in § 32, sed ita, ut hoc loco, ubi altera utitur argumentatione adiciat verba „easque tueor animi, non corporis viribus“, cum illo loco (§ 32) primam argumentationem adhibuerit; atque pergit ne si res exsequi non posset quidem desistere se cogitare, quae iam agere non posset. Apparet illam iterationem non solum ex loquacitate Catonis explicandam esse, sed etiam inde, quod Cic. vir Romanus res in re publica gestas pluris facit quam studia litterarum. Ad extremum concluditur pars II. sententia senem in illis studiis (sc. litterarum § 38, 6/14) et laboribus (sc. in re publica gestis § 38, 15/19) viventem non sentire, „quando obrepat senectus“. Falso igitur Havet (journal des savants 1902, p. 401) verba „septimus — desidero“ „adsum — vita“ inter se transponere vult. In ceteris quoque suspicionibus non satis diligenter conexum sententiarum verbis eis, quae vult, inter se transpositis consideravit.

Hac in parte II Otto offensus est duobus locis, ubi Cic. postea plura magna cum levitate inculcavisse putat. „In § 31,“ inquit l. c. p. 95, „unterbricht die Abschweifung über den greisen Nestor nicht nur den Zusammenhang, sondern was die Hauptsache ist, der in den Worten „quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus“ enthaltene Grundgedanke gehörte viel eher zum 1. der 4 Hauptpunkte der ganzen Abhandlung.“ Immo illis ex verbis patet exemplum Nestoris a Cic. ad partem II. optime adaptatum esse, in qua idem argumentum adhibitum esse atque in parte I iam diximus. Praeterea ille vir doctus neglexit, quam arte initium huius § 31 cum verbis antecedentibus cohaereat. Finis § quidem digressio vocari potest, sed Cic. ipse verbis „sed redeo ad me“ hanc egressionem

indicavit. Idem vir doctus haeret in eo, quod Masinissae exemplum cum antecedenti § 33 non conexum sit et ad exempla Cyri et Metelli potius accedat. Sed si sententiarum nexum accuratius perscrutatus es, apparet Cic., ut senes robustos exstare demonstret, afferre primum Cyrum et Metellum, deinde Catonem atque uberius propterea, quod non adulescentis viribus servatis defendere se debet aliis argumentis ab opprobrio II (§ 33), denique Masinissam atque ita, ut totam hanc particulam (§ 29/34) concludat verbis „potest igitur exercitatio — roboris". Praeterea Otto neglexit verba cap. 11 „ne sint in senectute vires" artissime cum extremo enuntiato exempli Masinissae cohaerere[1]). Neque etiam ita mirum est Cic. non transitionem adhibuisse, cum saepius idem invenire possis (§ 30 „Cyrus quidem" § 35 „Resistendum, Laeli et Scipio" cf. Moorii adn. ad. § 21, 2). Praeterea notandum est hoc loco (cf. § 35 med. § 9) Catonem eos, quibuscum colloquitur, alloqui. Nescio an Cic. hac ratione conexum non ita artum occulere voluerit. Simul ex illo harum §§ conexu supra exposito patet, quare Cic. in § 33 ex parte eadem atque in § 27 disputaverit. Qua repetitione etiam minus offendimur, cum in hac quoque parte II. duobus aliis locis (in §§ 32. 38 similis sententia, Catonis de se ipse laus cf. p. 20) iterationes inveniamus. Neque magis haeremus in egressione § 31, cum viderimus (cf. p. 18) Catonem etiam in § 38 aliquid a proposito aberrare. Itaque nihil est, cur §§ ab Ottone significatas postea inculcatas esse putemus.

Neglegendum non est consulto atque magna cum prudentia Cic. afferre alteram senectutis vituperationem non primo loco, quamquam si artem logicam adhibeas, debuit primo loco refutare, quare coacta „a rebus gerendis abstraheretur senectus". Prima enim in parte nihil de corporis viribus senis disputat, cum hac in re adversario nonnihil cedere debuerit, id quod facit re vera in § 33sq.. Primo opprobrio plane refutato tum demum ad II crimen idque gravius accedit, ad quod refellendum multo cautiore methodo utatur necesse est, vafre ita disputans, ut, postquam duo argumenta, quibus usurus est, indicavit, dicat primum senes etiam exiguis viribus aliquid agere posse, deinde saepius homines temperantes in senectute viribus uti bonis, tum res magnis viribus gestas a senibus non requiri, denique coactus adversarii obiectione valetudinem accuset atque refugiat ad argumentationem partis I. (§ 36/38), corporis viribus multo magis valere vires animi,

[1]) In § 60 inveniemus exemplum allatum a Cic. ea mente, ut orationem apte ad novam partem traducat.

iam in § 27 indicatam, ut his §§ ad 27 redeat atque et I. et II. partem apte concludat, quippe quae voce § 27 „nec“ arte inter se conexae sint.

Tertia in parte Cic. rem ita disposuit, ut ostendat primum vituperationem tertiam, cum senes voluptates corporis, quae quasi pestis sint, non magnopere desiderent, summam esse laudem senectutis (§§ 39/44 init.), deinde etiam senes illis modice uti posse (§§ 44/48), tum illis multo meliores esse voluptates animi, quibus senectus nequaquam careat: studia doctrinae (§§ 49/50), delicias vitae rusticae (§§ 51/60; cf. § 56 fin.), praemia auctoritatis (§§ 61/65; cf. § 61 fin., § 64 med.).

In initio Cato contendit hanc vituperationem immo „praeclarum munus aetatis esse“ idque demonstrat primum referens Archytae contra voluptatem orationem ita, ut unde ipse acceperit, in initio, in fine ubi habita sit exponat (§§ 39/41): inde oriri proditiones et cetera omnia vitia atque illam „pestem capitalem“ inimicissimam esse virtuti et temperantiae animi divini; „quocirca nihil esse tam detestabile quam voluptatem“, qua „omne animi lumen“ extinguatur. Tum demum, cur haec narraverit, in § 42 indicat praemissis verbis „quorsus hoc?“, quibus illa uberius reddita esse ipse confitetur (cf. § 47 „quorsus haec tam multa de voluptate?“). In § 42 breviter iterum Cato ipse vitia voluptatis enumerat reversus ad argumentum huius partis. Hanc repetitionem Cic. facit ea mente, primum ut Catonem Archytae sententiae assentiri ostendat, deinde ut transitum faciat ad exemplum afferendum. Confestim enim Cato properat ea, quae dixit, exemplo illustrare eoque ex ipsius vita sumpto, quo demonstrat se illud vitium ipsum impugnavisse salutis rei publicae causa („dedecus imperii“). Ad hoc exemplum asserit narratiunculam de C. Fabricio sibi a maioribus traditam (§ 43), qua secundum sententiam virorum vere Romanorum exponitur summum bonum non voluptatem esse, sed „aliquid natura pulchrum atque praeclarum“ ut mortem pro patria sponte oppetitam. Iterum ad extremum dicit, cur hanc rem attulerit. Hac § 43 denuo agitur de voluptatis peste, ut in §§ 39/41; attamen cum hic voluptas reprehendatur, quod „mentis oculos quasi praestringat“, in § 43 duae sententiae contrariae de summo bono inter se opponuntur atque auctoritate narratiunculae illius et exemplo Decii altera reicitur. — Lütjohann (l. c. p. 499 sq.), qui hac in parte plures locos levissime postea a Cicerone insertos esse sibi persuasit, offendi non debebat eo, quod Cic. neque transitum ad Flaminini exemplum facit, cum

etiam aliis locis arta conexio desit (cf. p. 21) et ea, quae cum proposito minus arte cohaerent, enarrat, cum appareat eam esse consuetudinem senilem, quam Cic. depingendam sibi proposuit (cf. p. 7. 9). Eandem loquacitatem in sequenti § 43 invenimus, ubi nonnulla, praecipue ultima verba, cum argumento partis III. non recta via cohaerent. Cic. ipse hunc morem senilem quasi excusat verbis § 44 „quorsus igitur tam multa de voluptate?" Item non in eo haereo, quod in initio § 44 similia dicuntur atque in initio § 42, quoniam tales repetitiones iam in § 17 et 19, in § 27 et 32 occurrerunt. Accedit, quod in § 44 senectus multo magis laudatur quam in § 42 (§ 42 „magnam esse habendam senectuti gratiam"; § 44 „summa laus senectutis est" cf. p. 20). Hoc modo prima particula apte concluditur initio § 44, qua sententia § 39 ineuntis augeatur simulque voce „magno opere" adiecta, quod vocabulum deest in verbis similibus § 42 („ut id non liberet"), voluptatis vituperatio vehementissima mitigatur ea mente, ut transitus fiat ad sequentem particulam, qua voluptati „aliquid datur". Verbis „caret — insomniis" illud argumentum ex § 39sqq. repetitum illustratur praeceptis non ut illic ex moribus promptis, sed ex corporis sanitate; qua argumentatione alio modo iterum transitus fit ad secundam particulam, ubi plane aliter de voluptate iudicatur. Ex hac inconstantia Cic. spes est nos aliquid eruere posse de fontibus adhibitis.

Altero enim Cato utitur argumento (§ 44 med./64) senem non plane voluptatibus carere. Adversarii sententia cum in antecedentibus §§ concessa sit, nunc impugnatur, atque voluptas, cum antea ex opinione philosophi Pythagorei summum malum reiciatur, nunc quasi bonum sit, laudatur. Inde ab § 44 opinionem de voluptate plane mutatam esse, quamquam ineunte § 44 paululum indicatum est (cf. supra), tamen nulla distincta transitione significatur (verbis enim „quamquam — caret, — potest" verbum „carere" ex prioribus repetitur) atque nonnisi leviter indicatur verbis § 46 „ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cuius est fortasse quidam naturalis modus".

Primum contra tertium senectutis crimen disseritur senem non plane carere voluptatibus corporis (§ 44/48), quibus in sequentibus §§ opponuntur „animi" (§ 49, 1) voluptates. Haec divisio, etsi in § 45 (cf. § 46) indicata est verbis „neque enim — metiebar", tamen deest in initio huius particulae (§ 44): quod nescio utrum consulto factum sit an ex neglegentia quadam. Modicis conviviis senes delectari posse Cato illustrat primum exemplo C. Duilii, quem ipse puer saepe viderit — quo in exemplo illum saepius convivatum esse coniectum est a Cic.

inde, quod „tibicine canente funale“ (Liv. periocha 17) ei praelatum esse traditum est — deinde ipsius sodalitatibus uberrime (cf. p. 7). Etiam tempestivis conviviis se frui in § 46 pergit verbis „non intellego ne in istis (sc. corporis) quidem ipsis voluptatibus carere sensu senectutem“ expresse commemoratis corporis voluptatum delectamentis, quas in initio partis III. cum Archyta plane repudiavit, quamquam, ut iam in § 45 (cf. p. 23), verbis „me vero — poculo“ animi delectationis memoria fit. Ita fit, ut in § 47 adversarius obicere possit „At non est voluptatum tanta quasi titillatio“. Hoc refutatur similiter atque in § 21 („credo“) primum sententia brevissima, deinde exemplo Sophoclis, denique compluribus verbis ita, ut cum in initio dixerit, illud opprobrium non molestias praebere, hic demonstretur etiam utilitatem illud crimen dare; atque iam non praeceptis morum ut in §§ 39/42 allatis obiectio impugnatur, sed ita, ut dicatur senem libidinibus amoris „satiatum et expletum“ esse (cf. vocem „iucundius“ § 47 fin). § 48 Cic. huius particulae (§§ 44/48) summam facit atque finem (cf. particulam „quodsi“): „quodsi istis (sc. corporis) ipsis voluptatibus bona aetas fruitur libentius“ (consulto haec vox in fine posita est), iuventus „primum parvulis fruitur rebus ut diximus (cf. § 45 extr. „quod in eo genere minimum est“), deinde iis, quibus senectus — non omnino caret“. Altera pars sententiae egregie illustratur similitudine a scaena petita. Ad vocabula „parvulis rebus“, quae in prioribus non inveniuntur, Moore adnotat „referring to the general tone of 45 and 46 (and the contrast higher with lower pleasure“). Equidem puto Cic. verbis „ut diximus“ significare sententiam extremam § 45 atque cum Moorio iudico multo melius explicari illa verba ex iis, quae sequuntur: voluptatibus corporis multo meliora esse oblectamenta animi. Nescio an hinc spes sit inveniendi aliquid de fonte a Cic. in § 48 adhibita.

Verbis § 48 „istis (sc. corporis) voluptatibus bona aetas fruitur libentius“ Cato concessit aliquid adversario. Quare particula „at“ usus transit ad voluptates animi (cf. § 50, 18), quibus fruendis senex superior est: non nisi seni libidinibus in re publica gerenda relictis, quibus solis iuvenis utitur, otium (cf. § 49, 6 „otiosa senectus“) datum est; nempe non prius quam libidines remotae sunt, otiose „secum vivi potest.“ Primum affert exemplum C. Gali „studium dimetiendi paene caeli et terrae“, deinde „leviora studia, sed tamen acuta“ poetarum (Naevii, Plauti, Livii, quem ipse viderit), denique studia iuris et loquendi. Tum demum dicit has voluptates (sc. animi) non comparandas esse cum iuventutis libidinibus corporis. Quae verba postquam sententia „haec studia doctrinae — pariter

cum aetate crescunt", huius particulae (§ 49sq.) summam apte fecit atque dicto illo Solonis iterum allato[1]) illustravit (cf. § 26), repetit sententia: „qua voluptate animi nulla certe potest esse maior" ita, ut illa verba augeat (cf. p. 23). Cic. suas sententias in Catonem deferre contra fidem veritatis apparet luculenter ex verbis § 49 „si habet aliquod tamquam pabulum studi atque doctrinae, nihil est otiosa senectute iucundius" (cf. Cic. ep. Att. IV 10, 1 a Moorio allatam). Neque vero neglegere debemus Catonem in his §§ non ipsius exemplum afferre, quamquam aliis locis (§ 26. 38 med.) ipsius studium literarum commemoravit.

Verbis § 50 „atque haec quidem studia doctrinae" Cato iam posteriora indicat, quibus studium vitae rusticae summis effert laudibus (§§ 51/60). Lütjohann arbitratur praecipue in hac parte Catonis Cic. incredibili cum neglegentia plura postea inculcavisse. Profecto negari non potest in his §§ singula uberrime enarrari, nonnulla afferi, quae a sententiarum nexu aberrare videntur. Sed eadem iam in prioribus nobis obviam se tulerunt, et siquis dicat illa vitia a Lütjohanno vituperata in hac parte saepius inveniri, quam ut illo modo excusari possint, num putat sine ulla causa Cic. finxisse Catonem loquentem et in § 55 „possum persequi — vindicare" et in § 51 „quibus ego incredibiliter delector" et in § 52 „satiari delectatione non possum, ut meae senectutis requietem noscatis" et in § 56 „mea quidem sententia haud scio an nulla beatior possit esse (sc. quam senectus eorum, qui agricultione oblectant)"?. Consulto igitur Tullius tam copiose et paene garrule Porcium de re rustica disserentem facit, ut laetitiam incredibilem illius senis, qui de rebus rusticis ipse scripserit (§ 54), sermone ipso quam dilucidissime depingat simulque ut excuset et obtegat ubertatem verborum. Oportuit enim Cic. paulo copiosius disserere de gaudio animi ex natura et cultura rerum rusticarum hauriendi, cum opinio omnium, quam Cato ipse habuit revera (cf. Moorii adn. ad § 51), res rusticas utilitatem praebere corpori, ei reprimenda, sententia ipsius illas etiam animo gaudio esse demonstranda esset, ut haec particula cum antecedentibus et sequentibus §§ congruat, quibus de animi voluptatibus agitur (cf. etiam verba § 51 ineuntis „quae mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere").

In §§ 51/54 Cato, quot quantasque delectationes vita agricolarum animo praebeat, enarrat. Multo magis quam utilitate ipsum gaudere vi ac natura terrae; id quod illustrat primum exemplo frumenti nascentis (§ 51), deinde postquam dixit omittere

[1]) Pro certo haberi potest illum versum alio sensu factum esse.

se velle vim ipsam omnium, quae gignerentur e terra (§ 52 init.), vitium ortu et specie diserte descriptis (§ 52/53). Verbis „qua quid potest esse cum fructu laetius, tum aspectu pulchrius?“ ad initium huius particulae (§ 51) revertitur. Hanc repetitionem ipse indicans verbis „ut ante dixi“ loquitur de cultura primum vitis, deinde terrae (§ 53 fin./§ 54) ipsius librum afferens, tum horti pecudum apium florum, denique arborum. In § 55 sequuntur illa verba iam supra exscripta (p. 25), quae quare Cic. inseruerit Lütjohann non perspexit: Cato loquacitatem excusare vult, velut supra in § 31 morem senilem de se gloriandi. Praeterea a consuetudine singula exemplis illustrandi hac in tam gravi parte recedere non debebat. Itaque primum M'. Curium affert, quippe cuius villa ab ipsius non longe absit. Hic seni in mentem venit continentiae illius viri; quae res cum a proposito huius particulae aberrare videatur, se ipse quasi revocat verbis: „sed venio ad agricolas, ne a me ipso recedam“.[1] Revera quidem haec narratiuncula non egressio est, sed ea mente a Cic. inducitur, ut demonstretur illius „senectutem iucundam“ fuisse, cum inde, quod illis temporibus „in agro erant senatores“, nondum sequatur beatitudo vitae rusticae. Senatores tum in agris fuisse demonstratur exemplo Cincinnati, qui ipso ab aratro dictator dictus sit, atque egressione facta (Servilii factum) exemplis Curii et ceterorum senum, qui a villa in senatum arcessiti sint. Tum demum Cic. sententia § 56, 1 „num horum senectus miserabilis fuit etc.“ dicit illa exempla allata esse, ut voluptas vitae rusticae illustretur atque illorum beatitudinem iam non ostendit ex argumento §§ 51/54, quibus de gaudio animi ex „natura et cultura“ orto agebatur, cum illo gaudio tum senatores delectatos esse nescire possit, sed inde, quod vita rustica praeter laetitiam officii „hominum generi universo salutaris“, qua de re iam in § 24 agebatur, et praeter „delectationem“ sc. animi „de qua sc. in §§ 51/54 dixit“ praebet „saturitatem et copiam omnium rerum“ atque insuper venationis voluptatem (§ 56) et ornatum speciei (§ 57 init.). Demonstratur igitur in §§ 56/57 beatitudo vitae rusticae „agri bene culti“ et utilitate, quam adhuc nonnisi obiter in § 51 init. et § 53, 9 commemoravit, et pulchritudine, de qua uberius postea in § 59 agitur (cf. verba § 57 „quid — plura dicam. Brevi praecidam“): Hoc elucet e verbis § 57 „agro bene culto nihil potest esse

---

[1]) Cic. accuratius dicere debuit „ad studium agricolarum“. Sed noli huic securitati tantum tribuere quantum Lütjohann, cum quid voluerit Cic. appareat. Havet l. c. p. 377 vult verba „sed venio — recedam“ ante verba § 53 „ergo in hac vita etc.“ transponere. Neque vero ille vir doctus meditatus est, qui tum sit sententiarum nexus.

nec usu uberius nec specie ornatius", quibus summam §§ 56/57 facit. — Voluptates vitae rusticae cum omnibus in rure viventibus gaudia praebeant, Cic. demonstrandum est praecipue seni gaudio maximo esse. Hoc argumentum iam in initio totius huius particulae commemoratum (§ 51, 2 „nec ulla impediuntur senectute") hoc ipso loco affert, quod illa beatitudine modo in §§ 56/57 descripta senectus maxime eget (§ 57 extr. „ubi enim — salubrius"), atque ita affert, ut sententiam § 51, 2 augeat („ad quem fruendum non modo non retardat, sed etiam invitat et adlectat senectus"). Hoc in fine § 58 confirmat, cum ostendit senes iam non ut iuvenes desiderare exercitationes et lusiones campi Martii (cf. § 36 init. „utendum exercitationibus modicis"), sed contentos esse „talis et tesseris", quibus si modo desiderant ludorum delicias, in rure quoque uti possint (cf. etiam Otto l. c. p. 95). In § 59 nulla transitione facta Cic. ad verba „nec specie ornatius" reversus ex Oeconomico Xenophontis ea, quae Lysander Sardibus apud Cyrum viderit, enarrat (oecon. IV, 20/25). Hoc elucet praecipue e sententia „cum admiraretur Lysander etc.". Cum Cyrus senex non fuerit, expresse dicit in § 60 „hac igitur fortuna frui licet senibus", ubi vox „senibus" consulto in fine posita est. Praeterea verbis „ut intellegatis, nihil ei tam regale videri quam studium agri colendi Cato Laelium et Scipionem monet, ne ruris studium despiciant.

In initio § 60 vox „fortuna" ex sententia antecedenti repetitur eo videlicet consilio, ut hanc § cum priore conectat. Haec fortuna, qua licet frui senibus, ex studio agri colendi capitur. Ergo fortunam Cyri gaudium vitae rusticae intellegi necesse est. Sed ei, qui § 60 nondum legit, videtur vox „fortuna" exeuntis § 59 respicere ad „purpuram et nitorem" Cyri. Quae interpretatio cum ad sensum loci non quadret, Landgraf (in edit. Catonis m. V. Meissneri 1907) censuit vim voci „virtuti tuae" tribuendum esse, sed tum quaerendum est, quo modo iteratio vocabuli „fortuna" explicanda sit? In Xenophontis libro, ex quo Cic. hunc locum transtulit, legimus „*δικαίως μοι δοκεῖς, ὦ Κῦρε, εὐδαίμων εἶναι. ἀγαθὸς γὰρ ὢν ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς*". Cic. haec mutavit, non solum quod ad verbum transferri non possunt, cum temporis praesentis participium verbi „esse" non existat, id quod Moore adnotat, sed etiam ut verba illa ad suum propositum adaptet. Nam transferendum fuit „quoniam fortunae tuae virtus coniuncta est"; Cic. autem vocabula „fortunae virtus" inter se commutavit, ut „fortuna" significet laetitiam ex studio agresti captam. Inde manifestum est hoc loco Cic. non cum ea qua opus erat, diligentia Xenophontis verba ad suum usum accommodasse. Paragrapho 60, cuius conexum

cum antecedenti § modo explanavimus, eam partem, qua de rebus rusticis agitur, concludit Cic. atque ita, ut sententiam § 57 extr. (cf. p. 27) iterum augeat verbis „ad ultimum tempus aetatis", eademque paragrapho, exemplo Valerii Corvini, qui et ruris amator erat et auctoritate fruebatur, orationem transitu consulto non clare indicato convertit ad extremam partis III. particulam (§§ 61/64), qua praemia auctoritatis laudantur.

Verba „apex est autem senectutis auctoritas" statim exemplis illustrantur; tum demum extremo enuntiato § 61 haec § cum argumento totius partis III. conectitur (cf. p. 22). Hac § 61 auctoritas per se ipsa laudatur, deinde Cato, postquam in § 62 apte asserit simili modo atque in § 29 verba „resistendum etc." non nisi eum senem, qui iuvenis bene se gesserit, illa voluptate frui posse, senilem in modum ipsius orationem afferens, de praemiis auctoritatis honoribus singillatim enumeratis loquitur in § 63 atque quales sint „fructus auctoritatis" (§ 62 fin. cf. § 63 „haec enim sunt etc."), explicat et illustrat Lysandri dicto, narratiuncula de Lacedaemoniis tradita, cuius extrema sententia minus ad propositum facit, consuetudine collegii augurum (§ 64). Ad extremum voluptatem auctoritatis plus valere quam corporis repetitur (cf. § 61 fin.) atque illustratur similitudine histrionis, qua haec particula apte concluditur.

In § 65 adversarius inducitur obiciens „at sunt morosi et anxii et iracundi et difficiles senes". Iam in § 7 querelae nonnullorum senum, qui „deplorare solebant, quod spernerentur ab eis, a quibus essent coli soliti" allatae sunt atque refutatae verbis „in moribus est culpa, non in aetate", quae in hac § paene repetuntur sententia „haec morum vitia sunt, non senectutis". Recte igitur Moore adnotat haec vitia Cic. hic addidisse, ut quibus senes auctoritatem modo summis laudibus elatam amittant. Itaque statuendum est § 65 non ita arte cum argumento partis III. coniunctam esse; id quod fortasse inde explicari potest, quod haec res in libro de senectute scripto suo iure commemoranda in nullam IV. partium facile inseri potuit. Unde nescio an fructum capere possimus ad solvendam quaestionem eam, quae est de fontibus a Cic. adhibitis. — Vitia ab adversario obiecta apud senes inveniri Cato concedit, attamen excusare et explicare conatur atque contendit ea omnia „dulciora fieri et moribus bonis et artibus" (ad hanc vocem cf. adn. Moorii ad § 9, 2). Hoc illustrat Adelphis, Terentii comoedia, et contentione vitae cum vino instituta. Denique avaritiam senilem vehementissime vituperat extrema sententia lumine orationis exornata. Negari non potest his verbis partem III. non ita apte concludi, ut priores partes: denuo videmus § 65 et 66

init. non cum ea, quam alias admiramur diligentia et elegantia additum esse.

Ex eis, quae de parte III. exposuimus, apparet hanc partem quamquam lepidissime disposita est, non plane ubique perpolitam esse ut partes antecedentes (§ 48 p. 24; § 65 p. 28). Praecipue in § 59 sq. Cic. in indiligentia deprehendimus. Sed cum in prioribus viderimus Tullium in animo habere mores senis sermone ipso depingere nec non ipsa in hac parte nonnulla invenerimus, quae quin consulto a Cic. contra leges orationis clare et dilucide dispositae scripta sint, nullum sit dubium, nolim cum Lütjohanno aut Ottone putare hanc partem magna cum neglegentia retractatam esse. Praeterea Lütjohann ipse (l. c. p. 498 sq.) dicit difficillimum esse in agriculturae laude partes postea insertas a prioribus secernere. Nihil aliud contendi potest nisi partem tertiam nonnullis locis minus diligenter compositam esse. Accedit quod in quarta parte multo plures loci exstant, quibus offendimur, atque postea videbimus hanc indiligentiam ex fontibus adhibitis non satis accurate inter se compensatis explicandam esse, non ex retractatione, id quod Lütjohann et Otto suspicati sunt.

Quartam vituperationem senectutis falsam esse primo in initio brevissime refutatur sententia „quae — aeternus" (§ 66 fin.). Quibus verbis divisio ex Tusc. Disp. (cf. p. 39 sq.) sumpta subest: mortem seni timendam non esse, si animus extinguatur (§§ 67/76), eam vel optandam, si animus immortalis sit (§§ 77/84 cf. adn. Moorii). Sed Cato cum altera in parte animum immortalem esse ostendat, in prima particula, cur animo exstincto mors metuenda non sit, non demonstrat, scilicet propterea, quod alteram opinionem veram esse sibi persuasit, sed exponit, quare praecipue seni finis vitae timendus non sit, quamvis non longe absit a senectute. — Voce „quamquam" usus ab § 67 se convertit ad contentionem adulescentis et senis. Primum ostendit mortem adulescenti eodem modo vel potius crebrius imminere quam seni. Quibus addit sententiam ex fine § 20 repetitam. Qua digressione (cf. p. 9) cogitur iterare quartum crimen senectuti cum adulescentia commune esse. Initio § 68 hanc primam refutationem causae quartae, „quod senectus haud procul absit a morte", illustrat nonnullis exemplis affinium ipsius et Scipionis.

Deinde obiectiones adversarii adulescentem habere spem diutius vivendi, senem non habere refellit ita fine § 68, ut dicat illam spem insipienter sperari atque mortem seni eo minus timendam esse, quod vita iam usus sit.

Tum in §§ 69/70 contra sententiam „at sperat adulescens diu se victurum" voce „diu" repetita disputat etiam in summo

vitae tempore, quod Arganthonius consecutus sit, tantum remanere, „quantum virtute et recte factis consecutus sis“; quare sapientem virum brevi temporis aetate contentum esse, id quod illustratur similitudine histrionis; „breve enim tempus satis longum esse ad bene beateque vivendum“. His verbis, quibus quare iuveni (non seni) mors timenda non sit exponitur, Cic. ab universo dialogi argumento plane aberrat. Quo revertitur verbis sequentibus: sapientem alia parte non dolere de senectute, ut agricolae non doleant autumnum venisse, propterea quod ut agricola fructus in autumno demetat, ita sapientem „ante partorum bonorum memoriam et copiam“ in senectute percipere („ut saepe dixit“ sc. in §§ 9, 52, 62 sq.). Hac sententia, quamquam consolationi de senectute institutae optime conveniunt, tamen nondum ad argumentum partis IV. rediit. Hoc facit voce „bona“ iterata (§ 71, 1, 3) sententia „omnia — bonis“ et hinc vocabulis „secundum naturam“ repetitis cum dicat „quid — emori?“, quibus verbis ad ea quae in §§ 67/68 exposita sunt, revertitur. — Vidimus Cic. in §§ 69/70 ab argumento non solum partis IV., sed etiam totius dialogi aberrare neque negandum est reditum sententiis primis § 71 parum artificiose factum esse. Neque vero inde concludere possumus hanc particulam postea inculcatam esse, cum omnia inter se plus minus arte conexuerit. Itaque fortasse haec indiligentia ex fontibus non satis inter se compensatis explicari potest.

Hac longa egressione Cic. cogitur verbis „quod idem contingit adulescentibus“ repetere ea, quae in initio § 68 iam dixit, sed ita repetit, ut novam rationem senectutis defendendae inducat; senis mortem secundum naturam esse, adulescentis contra naturam, quam sententiam duabus similitudinibus elegantibus illustrat. Quae cum ita sint, Cato locutus de se ipso, qui semper amplissimum senis exemplum est (cf. p. 7), contendit ita se non mortem timere, ut ex longa navigatione in portum videatur venturus esse (§ 71 extr.). Attamen cum nauta certum navigationis finem petat, „senectutis nullus est certus terminus (§ 72 init.) recteque in ea vivitur, quod munus officii exsequi et tueri possis mortemque contemnere“. — Hoc de loco controversia orta est inter viros doctos, cum ultima verba in codicibus varie tradita sint (cf. Moorii ed. p. 178 sq.); alii putant, in quibus Madvig, verba „mortemque contemnere“ ex margine irrepsisse adscripta ab homine quodam, qui nexum sententiarum non perspexit, alii, in quibus Lütjohann et Moore, lacunam esse hoc loco. Non recte certe Lütjohann (l. c. p. 504 sq.) suspicatus est verba ea supplenda esse, quibus mors voluntaria defendatur more Stoicorum; neque enim ex verbis „illud breve reliquum

vitae nec avide appetendum sit senibus" concludendum est in lacuna exstitisse illam Stoicorum doctrinam, quoniam illa verba ex prima sententia § 72 satis explicantur et narratiuncula de Solone adiecta mors pro patria oppetenda laudatur, non suicidium significatur. Si cum Madvigio verba „mortemque contemnere" deles, verba „recteque — possis" quasi egressio sunt, cum nullo modo cum sequentibus verbis „ex quo fit etc." cohaereant. Sed illa verba particula „que" tam arte cum prioribus conexa sunt, ut necesse sit ea etiam cum sequentibus verbis „ex quo fit etc.", quibus verba „senectutis — terminus" explicantur, aliquo modo cohaerere. Sed ne lacuna quidem cum Moorio statuenda est. Cic. in animo etiam habet navigationis contentionem: cum nautis certum portum appetentibus mors timenda sit, senex, qui quoad munus officii exsequi potest, recte (cf. Moorii adn. „not in a moral sens — the idea is of a normal existence") vivit, mortem non timet: particula „que" verbo „mortem" affixa interpretanda est „proptereaque". Apte ad haec adiungit „ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit quam adulescentia et fortior", quae sententia illustratur dicto Solonis. „Sed" mors per vim facta, quam Solon non metuit, melior (iterum non moralem in sensum) mors a natura effecta: „vivendi optimus est finis, cum integra mente certisque sensibus opus ipsa suum eadem quae coagmentavit natura dissolvit", id quod illustrat similitudine fabri navis vel aedificii (nescio an in navis exemplo Cic. admonere velit de fine § 71, qua de nauta ad portum navigante loquitur). Atque mors a natura effecta in sene „facillima" est i. e. facilior quam in adulescente (cf. § 71); neque enim dubium est, quin haec sententia ad senis et iuvenis contentionem spectet, praesertim cum in initio § 74 legamus „iam sensus moriendi aliquis esse potest isque ad exiguum tempus, praesertim seni". „Ita fit, ut illud breve vitae reliquum nec avide adpetendum senibus nec sine causa deserendum", quibus verbis Cato summam facit eorum, quae in hac § 72 dixit: verba „nec avide adpetendum" respiciunt ad priorem partem § 72, verba „nec sine causa deserendum" ad verba „sed vivendi etc." Hanc alteram partem huius sententiae in § 73 ineunte etiam confirmat auctoritate Pythagorae. Ad priora reversus affert deinde ad illustrandam opinionem seni mortem lenem accidere proptereaque non timendam esse (cf. „nec avide appetendum"; cf. Moorii adn.) Ennii versum, qui Solonis dicto „melior" sit. Hoc versu tertium argumentum §§ 71/73 finitur. Extrema sententia § 73 addit Ennium propter immortalitatem animi mortem non esse lugendam censere, quae causa hac in prima particula non suo loco est. — Negari vix

potest § 73 flumen sententiarum §§ 71/72 aliquid quasi retardari, quod conexus cum antecedentibus non indicatur.

In §§ 74 et 75 contentione senis cum adulescente ea, quam adhuc invenimus, relicta Cic. reversus ad rationem argumentationis § 66 exponit iam ab adulescentia „medidatum esse" debere de morte neglegenda (cf. § 66 „in tam longa vita"), ut „tranquillo animo" consistere possimus, id quod factum sit non solum a Romanorum ducibus, sed etiam ab indoctis et rusticis militibus. Itaque „quod adulescentes indocti — rustici contemnunt, id docti senes extimescent?" His igitur quoque verbis contentio senis cum adulescente instituta subest, attamen plane alia atque in §§ 67/73. Quod discrimen eo magis mirum est, quod in sequenti § 76 contentio prior §§ 67/73 redit. Nescio an inde explicandum est, quod § 74 et § 75 postea insertae sunt, praesertim cum visuri simus (cf. p. 42) verba § 75 simillima iam in Tusc. Disput. scripta esse. Praeterea has §§ intercalatos esse ideo verisimile est, quod neque conexae sunt cum antecedentibus aut sequentibus §§ et transitus ab § 73 ad § 74 nequaquam artificiose factus est: Cic. revertitur ad argumentum § 66 cf. supra etiam verba „post mortem quidem sensus aut optandus aut nullus" cum § 66 „mors — neglegenda — optanda") atque antea interponit sententiam ex § 71 fin. repetitam sensum moriendi praesertim seni ad exiguum tempus esse.

Denique cum illa suspicione concinit fieri potuisse, ut ab § 74 ad § 76 voce „omnino" transiretur. Continuatur enim in § 76 contentio iuvenis cum sene instituta: senex mortem eo minus timet (quam adulescens cf. § 68 fin.), quod „satietas vitae tempus maturum mortis affert". Praeterea adnotandum est Catonem his verbis non consentire cum sententia partis II (§ 38 fin.; cf. § 50 fin.) „semper in his studiis laboribusque viventi non intellegitur, quando obrepat senectus". Ex hac inconstantia certe de fontibus adhibitis aliquid inveniri potest.

Ex eis, quae de § 66/76 exposuimus, perspicuum est hanc particulam non ubique satis perpolitam esse: in § 69 sq. etiam ab universo dialogi argumento aberratur atque praecipue ab § 73 singulae sententiae non arte conexae sunt. Lütjohann (l. c. p. 501) inde conclusit § 73 et initium § 74 postea inculcatas esse: sed neglexit Ennii versus cum antecedentibus cohaerere. Otto (l. c. p. 95) eadem causa adductus § 76 et § 73 ab verbis „Solonis quidem" inter se transponere vult. Sed quamquam bene §§ illis inter se commutatis sententiae inter se excipere videntur, tamen quomodo ad Ennii versus initium § 77 „equidem — non enim video, cur quid ipse sentiam de morte non audeam vobis dicere" asseratur non perspicuum est. Si suspicionem

supra allatam sequaris (cf. p. 32) haec verba respiciunt ad initium § 76 „ut mihi quidem videtur." —

In §§ 77/78 Cic. demonstrat mortem timendam non esse, quod animus immortalis sit. Primum Cato enarrat, quid credat de ortu animi, „ratione atque disputatione impulsus" (§ 77); deinde secutus „nobilitatem et auctoritatem summorum philosophorum" exponit, quid Pythagoras, Socrates, Xenophon docuerint (§ 77/81); tum transitu eleganter facto („nos si placet, nostra videamus") ostendit Romanorum viros optimos nunquam tanta conaturos fuisse, nisi animos immortales esse putassent (§ 82); denique sapientem virum aequiore animo quam stultum mori, quod ille longius cernens sciat se ad meliora proficisci mortuum (§ 83 init.). Se ipsum quidem magnopere laetari, quod amicos videre se posse speret neque velle repuerascere (§ 83); nam multa in vita molesta esse atque eorum, quae iucunda sint, satietatem aut modum esse. Sed se nolle deplorare vitam, cum non frustra vixerit neque ignoret vitam tamquam hospitium esse. Maxime autem se gaudere, quod filium post mortem videat. — Hac in parte oratio multo melius fluit quam in priore particula quartae partis.

§ 85 conclusio totius dialogi est. Perspicuum est verba „His mihi rebus — iucunda" respicere ad Scipionis verba (§ 4), ex quibus comparatis vides Catonem plus ostendisse quam Scipio cupiverat. Deinde iterum de immortalitate animi locutus, qua in re nescio an voce „erro" ter adhibita ad sapientiam a Scipione laudatam respiciat, orationem apte finit contentione senectutis cum fabulae peractione instituta[1]). Ad extremum sermonem aptissime concludit, cum optet, ut Scipio et Laelius ea, quae audiverint, „re experti probare" possint.

Spero ex eis quae disputavi apparere recta esse ea, quae in initio (p. 6 sqq.) exposui de Cic. propositis, quibus tali tantoque lepore Catonis sermonem affecit; quare iam non stat illorum virorum sententia, qui retractatum esse librum censuerunt. Catonem neglegenter scriptum esse Lütjohann etiam inde conclusit (l. c. p. 496), quod Cic. nonnulla non ad historiae fidem narravit. Attamen loci a Lahmeyero collecti (ad. IV p. 10 adn. 1), quibus ille vir doctus nititur, maximam partem non apti sunt, quibus fulciatur opinio eius. M. Livius Salinator pro Livio Macato non solum in § 11 Catonis, sed etiam in libro II „de oratore"

[1]) Anz (in ed. Catonis IV 1909) dicit: „Die Worte „quodsi — satietate" sind neben dem vorhergehenden schalkhaft auslaufenden und fein abschließenden Gedanken aus sprachlichen und logischen Gründen unerträglich." Immo contentione illa oratio multo melius concluditur.

(67, 273 cf. adn. Lahmeyeri; Allen, Americ. journ. of Philol. 19, 1898, p. 437) falso positus est; Platonis cum Archyta colloquium (§ 41) etiam in l. V „de finibus“ (§ 87 cf. de rep. I 10, 16. Zeller, Griech. Phil. II, 1⁴ p. 423 adn. 3) falso commemoratur; de Ahalae facto in § 56 allato narratur idem in Livii historia (IV 14, 7 cf. adn. Weissenbornii ed. 4 vol. II p. 184; cf. praeterea in Cat. I 1, 3; pro Milone 8, 72). In § 60, 6 quidem (cf. Moorii adn.) et in § 19, 4 Cic. in annis erravit; porro falso dicit Fabium anno 228 a. Chr. n. iterum consulem fuisse (cf. Moorii adn. ad. § 11, 6[1]); denique mirum est in exemplo Flaminini (§ 42) Cic. non sequi orationem Catonis, quas ipsum legisse constat (Brut. 17, 65; cf. Moorii adn.). Sed neque ex his erroribus neque ex indiligentia nonnullorum locorum, de qua supra hic illic disputavimus, concludere debemus Cic. Catonem maiorem neglegenter scripsisse, cum viderimus atque admirati simus, quanto lepore et artificio sermonem Catonis senis ornaverit; verisimilius est illam inconcinnitatem et inconstantiam nonnullis locis a nobis indicatam ex fontibus non satis inter se compensatis explicandam esse. Hanc quaestionem in altera parte disputationis tractabimus.

[1]) Leo (Griech.-römisch. Biographie 1901, p. 168) recte animadvertit Nepotem in vita Catonis de viri stipendiis alia tradere atque Cic. (§ 10/11). Nissen (Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius, p. 295) putat Nepotem digniorem esse, cui fides habeatur. Sed nos quidem hac de re decernere non iam possumus. Neque etiam illa quaestio magni momenti est, cum Cic. loci, quibus de Catone agitur, inter se congruant (cf. Nissen, l. c. p. 225).

Pars secunda.

De fontibus Catonis maioris.

Fontes Catonis maioris adhuc nondum explorati sunt accuratius. Ea quidem, quae Cic. ex Platone et Xenophonte sumpsit, omnes fere editores, qui librum commentati sunt, adnotaverunt; praecipue Reid in editione (Cambridge 1906, appendix B. p. 177sqq.) omnia in conspectu posuit et ea, quae Platonica exstant in §§ 77sqq., paulo diligentius explanavit G. Schneider (Das Platonische in §§ 77. 78 von Cic. Cato maior. Zeitschr. f. Gymn., Bd. 33, 1879, p. 689sqq.). Sed hi loci et parvam tantum libri particulam continent neque unde prompti sint, dubium est. Sed etiam van der Ton in dissertatione ea, quam inscripsit „Cato maior explicatur et e Graecis potissimum fontibus illustratur“ (annal. acad. Lovanienses vol. III, 1823), toto in Cic. scripto explicando versatus non tam fontes excussit quam e Graecis auctoribus et Latinis locos similes plus minus aptos ad singula illustranda attulit neque moratus est ullo loco in illa quaestione, quae est de Aristonis libro in initio dialogi commemorato. Atqui in fontibus a Cic. adhibitis indagandis maxime interest vestigia perquirere illius philosophi. Quam rem primus inter viros doctos, qui cum Aristonis Tithonus iam non exstaret, quicquam certi erui posse desperaverant, Hense adiit in Teletis reliquiarum editione (proleg. ed. I. p. XCVIIIsqq.; ed II, p. CXIVsqq.). Paragraphum 3, ubi Aristonis memoria inicitur, non sine acumine interpretatus ad illum philosophum omnia, quae in libro Tulliano fluxerint ex imitatione Bionis, reducenda esse contendit. Quae suspicio probata est Susemihlio (Gesch. d. alexandr. Lit. I, p. 151 adn. 790) et Gieseckio (Ariston von Chius. Jahrb. f. klass. Philol. Bd. 145, 1892, p. 206sqq.), cum Heinze (Ariston von Chius bei Plutarch. Rhein. Mus. Bd. 45, 1890, p. 515 adn. 4) locos ab Hensio comparatos non tam similes esse putarit, ut illius rationi confidat. Neque vero Hense hanc quaestionem plane expedivit, ut quae cum proposito non cohaeserit. Itaque non mireris, quod uter Aristonum sit intellegendus, Stoicus an Peripateticus philosophus, non per-

scrutatus diligentius Cio philosopho Tithonum attribuit nisus Strabonis loco (X, p. 486), quo Aristo Peripateticus philosophus dicitur Bionis „ζηλωτής“. Sed hanc rem accuratiore examine egere apparet cum inde, quod etiam Stoicus philosophus Bionem imitatus est[1]) tum vel inde, quod codices eique graves (cf. ed. Moorii, p. 162) in § 3 alii Cium alii **Ch**ium praebent. Cum priores editores „Aristo Chius“ dedissent, postea praecipue ex Ritschelii disputatione (Ariston d. Peripatetiker bei Cicero de sen., opusc. I, p. 551) in omnibus editionibus Catonis „Aristo Ceus vel Cius“ scriptum est. A partibus Stoici philosophi soli Giesecke (l. c. p. 209sq.) et Ueberweg-Heinze-Praechter, (Grundriß d. Gesch. d. Philos. d. Altertums 10, 1909) stant. Haec controversia quin ex auctoritate codicum solvi non possit, dubium non est. Itaque alias rationes viri docti inierunt. Ritschl (l. c. p. 552sq.) usus Plutarchi testimonio (de aud. poet. p. 14E) Lyconem, quod scriptum Peripatetici esse philosophi constat, et Tithonum idem esse scriptum coniecit. Quae suspicio neque ullo testimonio fulcitur neque verisimilis est, cum librum de senectute compositum aptum esse, qua admodum adulescentes delectentur („μεθ' ἡδονῆς ἐνθουσιῶσιν“), id quod Plutarchus illo loco dicit, nemo arbitretur. Recte igitur abiecta est et a Susemihlio (l. c. adn. 789) et ab Hirzelio (D. Dialog p. 331 adn. 2). Alii viri docti, in quibus Sintenis (Plutarch, Themistocles 1832, p. 22) et Hirzel (l. c. p. 333, adn. 1) et Hense (l. c. p. CXVIII) nisi sunt loco in l. V „de finibus“ § 13 servato, quo de auctoritate Aristonis Cei Cic. similibus verbis loquatur atque in § 3 Catonis maioris. Sed iam Ritschl (l. c. p. 532) recte dixit: „Ausreichend ist der Grund nicht; denn der allgemeine Mangel an gravitas und auctoritas wird doch wohl auf mehr beruht haben, als gerade auf der mythischen Einkleidung eines philosophischen Gegenstandes; dies hätte wohl auch beim Stoicker einmal vorkommen können.“ Nam verba „quo maiorem auctoritatem haberet oratio“ referenda sunt ad antecedentia vocabula „M. Catoni seni“, non ad vocem „Tithono“, ad quam sententia „parum esset auctoritatis in fabula“ spectat. Gercke (Ariston. Arch. f. Gesch. d. Phil. Bd. 5, 1892, p. 198, 203). Chio philosopho librum „Tithonus“ a Cic. solo commemoratum abiudicat, quod in catalogo Laertiano librorum eius non in-

[1] cf. Hense, Ariston bei Plutarch Rhein. Mus. 45, p. 454sqq.; Heinze, l. c. p. 513sqq.; Mayer, Aristonstudien, Philol. suppl. XI, p. 483sq., § 8, cf. Arnim St. V. Fg. vol. I. Hanc opinionem, quae nunc communis est, veram esse mihi ipse persuasi diligenter hac in re versatus. Ambo Aristones Bionem imitati sunt, sed ita, ut Peripateticus philosophus nonnisi genus dicendi, Stoicus etiam sententias Bionis secutus sit.

veniatur (St. V. F. fg. 331). Sediam Giesecke (l. c. p. 209) monuit tale scriptum latere posse sub titulo „*διάλογοι*".

Omnibus his argumentationibus nihil adiuvatur quaestio. Diligentius hanc rem nos perscrutari oportet eo modo, ut cuius sectae doctrinas praebeantur, perquiramus atque usi eis, quae de compositione Catonis (cf. hac de re p. 45) priore in parte disseruimus ea, quae ex fonte sumpta sunt, conemur secernere ab eis, quae Cic. ipse attulit. Itaque in fontibus libri Tulliani indagandis eam ingredimur viam, ut primum omnia, quae Cic. de suo sumpsit, deinde locos Platonis et Xenophontis, quos eum ipsum inseruisse consentaneum est, tum omnia, quae iam in prioribus operibus adhibita a Cic. invenimus, secernamus atque perscrutemur, denique ea, quae restant, perspiciamus.

§ 1. De exemplis a Cic. ipso allatis.

Longe plurima exempla in Catone allata ex historia Romanorum sumpta sunt a Cic., qua de re iam supra disseruimus (p. 11sqq.), Sed Tullius fingit Catonem commemorantem etiam viros Graecos. Qua ex re si sequaris opinionem Hensii (l. c. p. CXVII), qui arbitratur Cic. illa verba § 3, quibus quod in Catonem Graeca multa deferat, excusat, eo tantum consilio „vafre" addidisse, „ne sibi ipse quasi praecluderet commentarii Graeci, quem exscripturus esset, subsidia", suspiceris Graeca exempla maximam partem ex commentario Graeco, quem exscripsit, eum hausisse. Sed eum plurima exempla Graeca ipsum inseruisse cogimur arbitrari, si illa paulo diligentius perscrutati sumus. Omittere possumus eos viros Graecos, quos ex Platonis et Xenophontis libris sumpsit (§ 7 Themistocles § 30 Cyrus § 47 Sophocles § 59 Cyrus minor Lysander § 71 Socrates). Item Graecos in § 23 allatos sine dubio Cic. ipse collegit. In § 21 Themistoclis memoria laudatur. Hoc exemplum Tullium ipsum attulisse tibi persuadeas necesse est, si legeris ea, quae de ingenio illius narrat et in l. II „de oratore" § 74 et in l. II „acad. pr." § 2 et in l. II „de finibus" § 104. Praeterea non expresse de senectute Themistoclis dicitur, ut hoc exemplum minus aptum sit, quod in Catone maiore afferatur. In § 69 Arganthonius admodum senex profertur in medium. Cum Cic. dicat „ut scriptum video" (cf. adn. Moorii) atque Herodoti verba (I, § 163 „*τῷ βασιλεῖ τῶν Ταρτησσίων ᾧ ὄνομα ἦν Ἀ., ἐτυράννευσε δὲ ὀγδώκοντα ἔτη, ἐβίωσε δὲ πάντα εἴκοσι καὶ ἑκατόν*") reddiderit nihil habemus, cur hoc exemplum ex libro eo, quo de senectute agebatur, a Cic. sumptum esse putemus. Item quae de Isocrate (cf. orat. § 175) et de Platonis morte in

§ 13 et de Nestore in § 21 enarrat, Cic. de suo sumere potuit nec non ea, quae de Sophocle sene in § 22 narrat, cum eum fabulam hoc loco commemoratam, Oedipum Coloneum, iam antea novisse ex l. V „de finibus“ § 3 constet et in Tusc. Disput. brevi ante Catonem scriptis ex aliis tragoediis Sophocleis (II, § 20; 49; III, § 71) plures locos transtulerit. Restant Gorgiae dictum in § 13, Milonis exemplum in §§ 27 et 33, Lysandri dictum et Lacedaemoniorum in § 63, Solonis versus in §§ 26 et 50, eiusdem dictum in § 72 allatum. Unde Cic. haec exempla sumpserit, nescimus. Hoc unum contendere possumus non verisimile esse ea in Tithono Aristonis illius allata fuisse, cum Tithono, quem ipsum sermonem habuisse ex verbis Cic. (§ 3 init.) constat, vix illa exempla tribui potuerint. Annos in exemplis Latinis saepius allatos uberius (cf. p. 12) Cic. ex Attici libro eo, cui inscribebatur liber annalis, hausisse iam Schanz (Gesch. d. röm. Lit. I, 2 p. 364) recte adnotavit.

§ 2. De Platonis et Xenophontis locis a Cic. insertis.

Non dubium est, quin locos eos, qui ex Platonis et Xenophontis imitatione fluxerunt, Cic. ipse inseruerit. In §§ 7/8 transfert ex Platonis l. I. „de republica“ eam partem (p. 328 E/330 A), in qua Socrates cum Cephalo colloquitur. Non ex memoria eum hunc locum reddidisse, sed librum illum in componendo Catone ante oculos habuisse inde patet, quod nonnulla ad verbum congruunt (cf. Opitz, Jahrb. Bd. 107, 1873, p. 609). Neque vero omnia adhibuit, sed alias sententias omisit, alias in artum contraxit, alias, dico Sophoclis dictum (§ 47) et verba § 328 D „εὖ ἴσθι — ἡδοναί“ (§ 46 init.). in §§ alias transposuit. Praeterea nonnulla adiecit (§ 7 „Salinator — Albinus nostri fere aequales“. cf. § 8 ubi Laelius senectutis levamen affert „dignitatem“ Catonis, quae apud Platonem non commemoratur). Hunc locum bene sermoni insertum esse iam supra exposuimus (p. 14).

Xenophontis quoque locos Cic. ipse vertit; neque vero totos ad verbum reddidit. Ea, quae ex Oeconomico sumpsit (§ 59), ex parte a, Xenophontis verbis longius abscedunt atque uno loco adaptandi causa, ut supra vidimus (p. 27), commutavit. Propterea equidem nolim putare cum Reidio (ed. s. c. p. 179) Tullium translationem eam, quam iuvenis fecit, exscripsisse, sed Xenophontis verba eum iterum vertisse, praesertim cum illius scripta ei in componendo Catone ad manum fuisse ex Cyrupaediae (§§ 79/81) et Symposii (§ 46) locis translatis appareat. Illius quoque libri verba non semper accurate pressit. Praecipue verba „θεούς γε — φοβούμενοι μήποτ' ἀσεβὲς μηδὲν μηδὲ ἀνόσιον

μήτε ποιήσητε μήτε βουλεύσητε“ non secutus scripsit „vos tamen deos verentes — — memoriam nostri pie inviolateque servabitis“ ea scilicet mente, ut hanc § 81 conecteret cum sequenti §, in qua de eis, qua „ad posteritatis memoriam pertinent“, disputat. Meissner (l. c. p. 65), qui quare Cic. hunc locum commutaverit, nondum vidit, recte explicat verba § 81 „sic me colitote ut deum“ (cf. Tusc. Disp. I, § 65) a Xenophontis verbis „τὴν ἐμὴν ψυχὴν καταιδούμενοι ποιεῖτε ἃ ἐγὼ δέομαι“ abscedere, propterea quod haec verba respiciunt ad locum priorem, quem Cic. non transtulit. Idem vir doctus (l. c. p. 64sq.) recte animadvertit verba exeuntis § 57 fluxisse ex imitatione Oeconomici Xenophontis (V, 9) neque minus recte comparat cum verbis § 56, 9 Catonis „mea quidem sententia etc.“ eiusdem libri Xenophontis locos duos (V, 10, 14. XV, 4).

§ 3. Quae Cic. ex aliis scriptis ipsius prioribus repetiverit.

Reid in editionis suae appendice B etiam verba § 78 et locos quosdam Platonicos („cumque semper — sit relicturus“ et Phaedr. p. 245 C; „et cum simplex — interire“ et Phaedon. p. 78/80, „magnoque esse argumento — reminisci et recordari“ et Phaedon. p. 72 Esqq.) in conspectu collocavit. Sed apparet illa non ex Platone ipso translata esse a Cic. Praeterea primum immortalitatis animi argumentum („cum tanta celeritas animorum sit etc.“) apud Platonem non invenitur. Omnia autem quattuor argumenta reperiuntur in libro primo Tuscul. Disput. (cf. Moorii adnot.). Primo argumento Cic. breviter consummat ea, quae in §§ 59/66 Tusc. Disp. l. I. exposuit idque accurate, ut comparanti diligentius apparet. „Celeritas animorum“ commemoratur ibidem in § 43 (cf. pro Arch. § 17). Secundo argumento paucis verbis complectitur ea, quae in §§ 53/55 Tusc. Disp. l. I attulit ex Platonis Phaedro (p. 245 C sqq.). Tertio eisdem fere verbis repetit ea, quae in § 71 Tusc. Disp. l. I. exponuntur ex Platonis Phaedone (p. 78 B sqq.) prompta (Moore falso § 66 Tusc. Disp. affert.) Quarto denique § 57 Tusc. Disp. l. I (cf. Phaedon. p. 72 E. Menon, p. 82/86) breviter astringit. Ex hac congruentia perspicuum est Cic. illa sumpsisse ex Tusc. Disp. l. I, quod opus uno fere anno ante Catonem scriptum est. At dixerit quis eum illa ex memoria in Catone repetivisse, non sumpsisse ex Tusc. Disp. l. I. Sed etiam aliae sententiae partis quartae inveniuntur in Tusc. Disp. l. I. Supra (p. 29) vidimus Cic. ostendere mortem contemnendam esse, et si omnino exstinguatur animus et si immortalis sit futurus (§ 66, 85).

Eadem est divisio illius libri: in cap. 12/33 demonstratur immortalem esse animum, unde argumentationes § 78 Catonis repetuntur, in cap. 34,47 ne tum quidem, si intereat animus, in malis ducendam esse mortem. Praecipue in § 66 Catonis („quae aut plane neglegenda — aeternus") similia redeunt atque in § 117 Tusc. Disp. l. I („ — ut homines mortem vel optare incipiant vel certe timere desistant. Nam si supremus ille dies — commutationem loci affert, quid optabilius? sin autem perimit, — omnino, quid melius — —?") et verba eiusdem § Catonis „atqui tertium certe nihil inveniri potest" inveniuntur in § 82 Tusc. Disp. l. I „ubi igitur malum, quoniam nihil tertium est?" Cato vel potius Cic. utrum sibi persuaserit, dicit in § 85 Catonis: „quod si in hoc erro, qui animos hominum immortales esse credam, libenter erro", quibuscum verbis comparamus verba § 40 Tusc. Disp. l. I: „ego enim ipse cum eodem (sc. Platone) ipso non invitus erraverim". In § 77 Catonis dicit ad illam opinionem eum impulisse non solum rationem et disputationem, sed etiam nobilitatem summorum philosophorum et auctoritatem; similia dixit in Tusc. Disp. l. I § 26 („auctoribus — optimis uti possumus; quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimum") et § 36 („permanere animos arbitramur consensu nationum, qua in sede maneant — — ratione discendum est"). Sed iure dicat quis hoc ex Tusc. Disp. haustum esse arbitrari necess non esse. Propterea oportet alios locos amborum smiles afferre nos. In conspectu ponam Catonis § 82 et Tusc. Disp. l. I cap. 15,

Nemo mihi unquam persuadebit aut Paulum et Africanum aut multos praestantes viros — — tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent posteritatem ad se ipsos pertinere. An censes, ut de me ipse aliquid more senum glorier, me tantos labores — suscepturum fuisse, si isdem finibus gloriam meam quibus vitam essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset otiosam aetatem et quietam sine ullo labore - traducere? Sed nescio quo modo animus se posteritatem ita semper prospiciebat,

Quid in hac republica tot tantosque viros ob rem publicam interfectos cogitasse arbitramur? iisdem ne ut finibus nomen suum, quibus vita, terminaretur? Nemo unquam sine magna spe immortalitatis pro patria se offerret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli — licuit ne et vetera et externa quaeram, mihi; sed nescio quo modo inhaeret in mentibus quasi saeculorum quoddam futurorum augurium, idque in maximis ingeniis altissimisque animis — exsistit maxime (cf. § 35 „cum optimus quisque maxime

quasi cum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, — haud optimi cuiusque animus maxime ad immortalitatem et gloriam niteretur.

posteritati inserviat"). Quo quidem dempto quis esset tam amens, qui semper in laboribus et periculis viveret?

Vides nonnulla ad verbum congruere. Singula quidem diversa sunt. Nam Cic. hanc argumentationem immortalitatis animi sermoni Catonis accommodavit (in initio affines Scipionis enumerantur; adicitur „ut de me ipse aliquid more senum glorier"). In Tusc. Disp. hunc locum sequuntur versus Ennii, quibus immortalitatem se sperare dicit. Horum alter repetitur in § 117 atque laudatur, quod melior sit quam Solonis versus. His Cic. etiam in Catone utitur.

Cato maior § 73.

Solonis quidem sapientis est elogium, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. Volt credo se esse carum suis; sed haud scio an melius Ennius: Nemo me dacrumis decoret neque funera fletu Faxit.

(Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur.)

Tusc. Disp. I § 117.

Melior Enni quam Solonis oratio. Hic enim noster:

Nemo me dacrumis decoret, inquit, nec funera fletu Faxit.

At vero ille sapiens:

Mors mea ne careat lacrumis, linquamus amicis Maerorem, ut celebrent, funera cum gemitu.

(cf. Tusc. Disp. § 34. finis versus Ennii: Cur? volito vivos per ora virum.)

Ipsos versus Solonis, cum sit poeta Graecus, Cic. Catonem non loquentem facit, sed vocabulis eis, quae significavi, indicat, quae verba Solonis in animo habeat. In priore capite vidimus (p. 31 sq) hunc locum in Catone cum verbis et antecedentibus et sequentibus non ita arte conexum esse. Praeterea Cic. verbis Catonis „volt credo se esse carum amicis; sed haud scio an melius Ennius" indicare videtur se in Tusc Disp. Solonis versus non plane recte interpretatum esse. His de causis adducor, ut arbitrer Cic. non solum hoc loco, sed etiam ceteris supra allatis recordatum esse in Catone componendo eorum, quae in Tusc. Disp. disputaverat, atque hoc loco iudicium de Solonis versu in Tusc. Disp. prolatum, cum non plane rectum esset, quasi correxisse. Quae opinio confirmatur compluribus locis aliis Tusc. Disp. et Catoni communibus.

Cato maior § 75.

De qua non ita longa disputatione opus esse videtur, cum recorder non L. Brutum — non duos Decios — non M. Atilium — non duos Scipiones — non avum tuum L. Paulum — non M. Marcellum — sed legiones nostras, quod scripsi in Originibus, in eum locum saepe profectas alacri animo — unde se redituras nunquam arbitrarentur.

(Quod igitur adulescentes — indocti — rustici contemnunt, id docti senes extimescent? cf. Tusc. Disp. § 100 „sed quid ego — praestantes viros virtutis et gloriae commemoro, cum Lacedaemonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est etc.")

Tusc. Disp. I § 89.

Quamquam quid opus est in hoc philosophari, cum rem non magno opere philosophia egere videamus? Quotiens non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt? (cf. § 101: „sed quid duces et principes nominem, cum legiones seribat Cato saepe alacres in eum locum profectas, unde redituras se nunquam arbitrarentur"). Quae quidem si timeretur; non L. Brutus — in proelio concidisset, non pater Decius — filius — nepos — se hostium telis obiecissent, non cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paullum et Geminum Cannae etc.

Vides amborum locorum sententias similes atque verba exemplaque ex parte eadem. Accedit, quod supra vidimus (p. 32) hac § plane alia ratione quartum senectutis crimen refelli atque antecedentibus et sequentibus §§, ut suspicati simus illas §§ postea ex Tusc. Disp. insertas esse. Iam liceat mihi ceteros Catonis locos, quibus Cic. sententias ex Tusc. Disp. repetit, breviter adnotare. Confer cum § 84 init. § 83 Tusc. Disp. l. I („quid ego nunc lugeam vitam hominum? Vere et iure possum.") et § 75 („quo sc. in caelum cum venerimus, tum denique vivemus; nam haec quidem vita mors est (cf. Catonis verba § 77 med. „eam vitam, quae est sola vita nominanda"), quam lamentari possem, si liberet"); cum § 74 init. § 82 Tusc. Disp. l. I. („ubi igitur malum est, quoniam nihil tertium est (cf. § 66 Catonis. cf. supra p. 31)? an quod ipse animi discessus a corpore non fit sine dolore? Ut credam ita esse, quam est id exiguum!"); cum § 74 med. § 74 Tusc. Disp. l. I („tota enim philosophorum vita — commentatio mortis est"); cum initio § 73 § 74 Tusc. Disp. l. I („vetat enim dominans ille in nobis deus iniussu hinc nos suo demigrare — — sed tamquam a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo evocatus exierit"); cum § 71 fine § 118 Tusc. Disp.

l. I („portum potius paratum nobis et perfugium putemus (sc. mortem); quo utinam velis passis pervehi liceat etc.“); cum § 69 § 94 Tusc. Disp l. I („quae vero aetas longa est? aut quid omnino in homine longum“ cf. § 75 „volat enim tempus“) et § 95 („totam vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine et in omnium rerum humanarum contemptione — et in omni virtute ponamus“) et § 109 („mors tum aequissimo animo oppetitur, cum suis se laudibus vita occidens consolari potest (cf. § 84 Catonis). Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto munere functus est. — Quare si ipsa ratio minus perficiat, ut mortem neglegere possimus, at vita acta perficiat, ut satis superque vixisse videamur.“). Hi quos modo collegi loci Catonis cum Tusc. Disp. l. I. locis non tantopere congruunt, quantopere loci antea allati. Praeterea neglegere non debemus permulta alia argumenta illius libri, quo agitur de contemnenda morte, in Catone non inveniri. Itaque contendere non audeo Cic. illum librum in componendo Catone ad manum habuisse atque locos illos exscripsisse; neque vero illos tot locos Catoni inseruit sine recordatione l. I. Tusc. Disp. — Sed ut ad propositum redeamus, vidimus longe maximam partem quartae senectutis vituperationis Cic. de suo sumpsisse. Quin etiam ad ea, quae collegi, nonnulla addere possumus. In § 78 initio doctrinam Pythagoreorum sine dubio ipse attulit (cf. Tusc. Disp. V § 38. de nat deor. I § 27, quos locos Moore adnotavit; Tusc. Disp. I § 38 fin.). Item, quae in § 77 exponuntur, quasi ex Catonis „ratione“ fluxerint, Cic. sunt Iam Tischer (in edit. 1847 p. 159) et uberius Schneider (l. c. p. 689/699) ostenderunt illum locum ex Platonis Timaeo sumptum esse (p. 41 A, 47 E)[1]. In § 83 sq. Cic. videtur in animo habuisse illum locum libri Platonis eius, qui inscribitur *ἀπολογία Σωκράτους*, quo Socrates dicit magna cum laetitia se sperare in Orco videre se posse heroas et poetas (p. 41 A). — Item apparet tertiam vituperationem maximam partem Cic. ipsum composuisse. Archytae vetus oratio (§§ 39/42), quam sibi adulescenti Tarenti traditam esse Cato narrat, sine dubio a Cic. ipso allata est, non ex libro eo, quo de senectute agebatur, sumpta. Nam hic philosophus Pythagoreus etiam aliis in libris commemoratur (de rep. I § 59; Tusc. Disp. IV, § 78; V § 64, ubi una cum Platone

[1]) Cic. hunc dialogum Platonis convertere coepit ante Caesaris caedem (cf. Schanz, Gesch. d. röm. Lit.[3] 1909, p. 359). Eodem tempore Cato maior scriptus est ex sententia Moorii, (p. 41/43), quam sequor. Hinc intellegimus, qui factum sit, ut Cic. hunc locum ex Timaeo Platonis sumptum, qui deest in l. I Tusc. Disp., in Catone afferret.

nominatur); Platonem in Italiam profectum esse, ut Archytae et Pythagoreorum doctrinas cognosceret, pluribus locis (de rep. I § 16; de fin. V § 67; Tusc. Disp. I § 39) tradit; denique ex parte similia legimus in fragmento 81 (Müller) Hortensii. Ex Graeco quodam libro hanc narratiunculam sumptam esse et per se verisimile est et inde apparet, quod vitium proditionis patriae (§ 40, 1) Romani vix noverunt, cum a Graecis saepius inter atrocissima facinora ponatur (Xen. apol. 25, Hellen. I, 7, 21; Plat. rep. X p. 615 A; Eurip. Andromach. 388; Plaut. Rud. 50). Cic. fortasse dialogum Pythagorei posteriorum temporum adhibuit, in quo Archytas et Pontius inter se colloquebantur praesente Platone. Habitus dialogi Archytae falso attributi (cf. Diels Fragm. d. Vorsokr.[2] 1906 I p. 264) in universum cum sententiis a Cic. allatis concinit, quamquam in singulis similia non praebet (cf. Mullach Fg. Philos. Graec. 1860 p. 555 sqq. 8 init. fin., 10, ubi contentio luminis invenitur). Atque hanc narratiunculam non ex Graeco libro eo, quo de senectute agebatur, haustam esse, inde constat, quod in §§ 44 sqq. plane aliter de voluptate dicitur (cf. p. 23). Eodem in fragmento Hortensii supra allato invenitur locus ex Timaeo Platonis sumptus (p. 69 D), qui in § 44 Catonis adhibetur. Dictum Sophoclis (§ 47) ex Platone translatum est (cf. supra p. 38). Denique tota pars ea [1]), qua agitur de vita agricolarum, certe a Cic. inserta est. Vides igitur, si exempla Romana in libro Graeco eo, quem exscripsit, non allata fuisse recordatus es, tertiam partem paene totam Cic. non adhibito fonte Graeco eo, quem exhausit, scripsisse.

In secunda parte ad Cic. reducenda sunt omnia, quae afferuntur Romana, praeterea Cyri et Nestoris exemplum. Similitudo in initio § 36 allata („nisi tamquam lumini oleum instilles") iam in Hortensio (fg. 74 Müller) adhibita est.

In prima parte praeter exempla (cf. supra § 1) et Caecilii versus certe § 24, qua de agricolis Romanis agitur, Cic. ipse addidit; ceterum hoc loco idem versus Caecilii allatus est atque in § 31 l. I. Tusc. Disp.

---

[1]) Cic. fingere Catonem non ita loquentem, ut ipse in libro „de agricultura" scripsit, vix opus est adnotare (cf. quae Moore adnotat ad § 51, 3, 5). Itaque verba § 54 „dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi" tantum ad priora referenda esse iam Klotz (Über Cato's Schrift de re rustica, Jahns Jahrb. suppl. X 1814 p. 31) et Weise (Quaestionum Catoniarum cap. V 1886 p. 118 sq.) recte perspexerunt. Hic recte ostendit in ceteris quoque Cic. non Catonis librum exscripsisse (praecipue apud Catonem nihil de frumento (§ 51 Catonis) invenitur. In §§ 56. 57 Xenophonteas subesse sententias iam diximus (p. 39). Quem fontem Cic. adhibuerit, perquirere non nostrum est.

In exordio praeter exempla ea, quae supra commemoravi (p. 37 sq.), Platonis locum certe ipse inseruit (cf. supra § 2). Praeterea insunt in hac parte doctrinae Stoicae, quas Tullium iam multo antea novisse constat. Sententiam § 5 „naturam optimam ducem tamquam deum sequimur" (cf. de leg. I 6 fin., de fin. II 33, IV 14) et ea quae Cato in initio orationis affert (cf. paradox. II § 17; Tusc. Disp. V § 40/42) Cic. de suo sumere potuisse non nego. Sed haec cum arte cohaereant cum eis, quae Bionis ex imitatione fluxisse Hense suspicatus est, diligentius perscrutari nos oportet.

§ 4. De fonte Graeco, quo agebatur de senectute, a Cicerone adhibito.

Fontem quendam Graecum in eis, quae adhuc omisimus perscrutari excriptum esse nemo umquam negavit. Hense vero (l. c. p. CXVII) putat Cic. in § 3 Catonis studium litterarum Graecarum eo tantum consilio „vafre" commemorasse, „ne sibi ipse quasi praecluderet commentarii Graeci quem exscripturus esset subsidia". Equidem arbitror eum non solum hac de causa locum illum inseruisse, sed etiam propterea, quod Platonem et Xenophontem adhibere vellet, quos scriptores quam studiose ipse legerit, constat; nam vidimus eum in animo habere ipsius sententiam de senectute explicare sermone Catonis. Idem vir doctus contendit illius libri auctorem fuisse Aristonem Ceum, cuius mentio in initio dialogi inicitur (cf. supra p. 36). Sed difficile est diiudicatu, utrum Cic. ipse illum librum, qui inscribebatur Tithonus, legerit an per alium memoriam Tithoni dialogi acceperit. Neque minus difficilis est illa quaestio, quae est de auctore Tithoni, qua de re iam supra (p. 36) disputavimus. Attamen nonnulla certa de fonte Cic. erui possunt perscrutatione Catonis maioris diligentiore.

Praemittendum est, qua methodo usos nos de fonte Cic. aliquid certi invenire posse speremus. Hense (l. c. p. CXIV) conatus est ad fontem escendere collectis eis locis, quos Bioneo colore tinctos esse invenit. Quam rationem cum et Aristonem Cium et Aristonem Chium imitatum esse Bionem constet, non sufficere patet. Itaque perscrutari nos oportet, quorum philosophorum doctrinas Cic. in Catone praebeat. Praeterea spes est ex compositione dialogi, de qua prima parte egimus, de fonte aliquid invenire nos posse. Neque vero oblivisci debemus longe maximam partem Catonis Cic. ipsum composuisse, non ex commentario eo, qui erat scriptus de senectute, hausisse, id quod in antecedentibus §§ exposuimus. Qua ex re cum con-

cludendum sit Tullium non diligenter auctoris vestigia pressisse cavendum est, ne et nimis multa fonti tribuamus et nimis caute censeamus non ex fonte fluxisse ea, quae a Cic. non ad verbum exscripta sunt. Denique non omittendum est perquirere, num de fonte aliquid reperiri possit ex comparatione Catonis cum eis libris, qui item de senectute scripti sint. Ex libris quidem ante Cic. scriptis (Theophrasti cf. Diog. Laert. V **43** et Demetrii Phalerei cf. Diog. Laert. V 81; IX 20) nihil fere servatum est. Attamen ex libris post Cic. scriptis multa ad nos pervenerunt (Plutarchus *εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον*; Iuncus *περὶ γήρως*, qui liber a Stobaeo traditus est; Musonius *τί ἄριστον γήρως ἐφόδιον* ed. Hense, p. 88; Favorinus *περὶ γήρως* ed. Marres fg. 67/72; Seneca hic illic hac de re scripsit).

Primum demonstremus fontem a Cic. adhibitum usum esse sententiis Bioneis. Hac in re Hense versatus est (l. c.). Sed et nimium contendit neque omnia Bionea, quae in Catone exstant, attulit. Diogenes Laertius nobis plura Bionis de senectute dicta servavit. Hic enim philosophus ipse ad senectutem vixit, id quod apparet ex dicto a Diog. Laert. in l. VI tradito (§ 34 „*πρὸς τοὺς εἰπόντας· γέρων εἶ καὶ λοιπὸν ἄφες· τί δέ, ἔφη, εἰ δόλιχον ἔτρεχον, πρὸς τῷ τέλει ἔδει με ἀνεῖναι καὶ μὴ μᾶλλον ἐπιτεῖναι*“). Non omnia Bionis dicta adhibita sunt in Catone; deest senectutis cum portu similitudo (Diog. Laert. IV, 48). Hoc mirum videri non potest: neque enim Bion ipse a Cicerone exscriptus est neque auctor, qui Bionis imitator erat, ad verbum exscriptus est. Tertium dictum Diog. Laert. (IV 75) tradidit „*μὴ δεῖν ἔφασκεν (ὁ Βίων) ὀνειδίζειν τὸ γῆρας, εἰς ὃ ἔφη πάντες εὐχόμεθα ἐλθεῖν*“. Hense (l. c. p. CXIXsq.) arbitratur Bionem haec dixisse non sine recordatione versuum Antiphanis a Stobaeo (flor. 115, 9 Mein.) servatorum:

„ὠνείδισάς μοι γῆρας ὡς κακὸν μέγα,
οὗ μὴ τυχόντος θάνατός ἐσθ' ἡ ζημία,
οὗ πάντες ἐπιθυμοῦμεν, ἂν δ' ἔλθῃ ποτέ
ἀνιώμεθ'· οὕτως ἐσμὲν ἀχάριστοι φύσει.

Hos versus ille vir doctus putat excepto secundo, quem iam Bionem suppressisse non sine acumine exponit, occurrere in Catonis § 4 „quam (sc. senectutem) ut adipiscantur, omnes optant, eandem accusant adeptam: tanta est stultitiae inconstantia atque perversitas“. Vereor, ne nimium contenderit Hense. Nam verba „tanta perversitas“ non respondent versui ultimo Antiphanis. Praeterea stultitia insipientium et paulo post in § 4 („falsum putare“ „stultam senectutem“) et in § 14 („insipientes“) et in § 68 („insipienter“ „stultius“) vituperatur (cf. § 36 „senilis stultitia, quae deliratio appellari solet“). Accedit,

quod illa verba proverbium Graecorum fuisse apparet ex locis similibus (cf. Otto, Die Sprichwörter der Römer, 1890, p. 316) Menecratis Samii (Stob. flor. 116, 27 Mein.), Euripidis (ibidem 116, 6), Menandri (116, 8). Tantum constat primum Cic. illa verba ex fonte Graeco sumpsisse, cum apud Romanos non reperiri possint nisi hoc loco, deinde auctorem Cic illa verba mutuatum esse a Bione, cum ex eodem multa alia hausisse eum demonstraturi simus. Neglegendum non est stultitiam eorum, qui senectutem accusent, vituperari non solum hoc loco, sed etiam aliis, ubi Bioneus color non invenitur (cf. supra p. 46). — Hense (l. c.) Bionis verba „*μὴ δεῖ ὀνειδίζειν τὸ γῆρας*“ recte explicavit ex Teletis „*περὶ αὐταρκείας*“ libri verbis (p. 9, 1) „*παράφοροι δὲ πολλοὶ οὐχ ἑαυτοῖς, ἀλλὰ τοῖς πράγμασι τὴν αἰτίαν ἐπάγουσιν· ὁ δὲ Βίων κτλ.* (cf. p. 8, 6. 11, 10. 12, 5), cum haec verba Bionis similitudo subsequatur. Hanc quoque sententiam legimus in Catone (§ 14) „sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt“. Sed iam Hense monuit (l. c. p. CXVIII sq.), ne oblivisceremur eandem sententiam legi in verbis ex Platonis rei publicae l. I (§ 7 „in moribus est culpa, non in aetate“) translatis, neque hanc difficultatem solvit, cum tractanda sit eis, qui „quaestionem de Tulliano volumine cum pulvisculo exhaurire“ velint, ut ipsius illius verbis utar. Revera ex illo loco, quo illa sententia a Cic. inserta est ea mente, ut ad Graecorum exempla Ennii exemplum annectat (cf. supra p. 11), diiudicari non potest, num Cic. illam sententiam etiam imitatori Bionis debuerit. Item § 36, ubi Caecilii versus eodem modo refutantur nihil adiuvamur, cum versus illius poetae Romani ex fonte Graeco fluxisse contendere non possimus. Sed etiam in § 65 legimus „haec morum vitia, non senectutis“. Opprobrium senectutis, quod hic inicitur, refutatur infra similitudine vitae cum vino instituta. Hanc comparationem, quam apud Cic. nullo alio loco invenimus, ad auctorem fontis revocare possumus, cum constet proprium esse praecipue Bionis, quem ille imitatur, sententias similitudinibus illustrare. Praeterea ea, quae postea de avaritia dicuntur, et Cynicorum sapientiam et Bionis dictionem quasi resipiunt. Itaque etiam verba „haec morum vitia sunt, non senectutis“ ad fontem revocare possumus. Quae cum ita sint, pro certo haberi potest sententiam illam § 14 iam in fonte Graeco exstitisse, praesertim cum ad Bionis verba magis accedat quam ad locum Platonis („*αἰτία ἐστὶν οὐ τὸ γῆρας, ἀλλὰ ὁ τρόπος τῶν ἀνθρώπων*“). Iterum videmus eodem modo atque priore loco Bioneo colore tincto (p. 46) hoc loco vituperari insipientes. — Porro et apud Teletem (p. 50, 5. 42, 11 H.) et apud Cic. (§ 4 init.) legimus senectutis cum onere Aetna

graviore comparationem. Hunc locum ex fonte Graeco sumptum esse vel inde concludendum est, quod apud Romanos nonnisi in Catone invenitur. Non mirum est versus a Telete allatos non a Cic. exscriptos esse, cum neque sciamus num in fonte Cic. exstiterint, et Cic. vereri Catoni versus Graecos tribuere supra (p. 11, 41) viderimus. — In Teletis libro „*περὶ αὐταρκείας*“ (p. 10, 6 H.) legimus „*καὶ σὺ πρὸς τὰ παρόντα χρῶ* (sc. *ὥςπερ οἱ ναυτικοί*). *γέρων γέγονας· μὴ ζήτει τὰ τοῦ νέου. ἀσθενὴς πάλιν. μὴ ζήτει τὰ τοῦ ἰσχυροῦ*“. Hic locus Bionis esse videtur, cum paulo ante similitudo illius ad eandem doctrinam illustrandam (p. 9, 2 sqq.) allata sit. Praeterea Diog. Laert (IV, 50) tradidit hoc dictum illius „*τῇ μὲν ἀνδρείᾳ νέους ὄντας ἔφη* (*Βίων*) *χρῆσθαι, τῇ δὲ φρονήσει γηράσκοντας ἀκμάζειν*“, quod cum illis verbis optime coniungi potest. Similia occurrunt in Catonis § 33 („isto bono sc. viribus corporis utare, dum adsit, cum absit, ne requiras“) et § 20 („temeritas est florentis aetatis, prudentia senescentis“ cf. § 15 init. § 18 fin., ubi antea similitudo nautarum affertur, quam in Teletis loco modo exscripto, quamquam alio modo adhibitam, invenimus). — Doctrinam eam, quae verbis „*καὶ σὺ πρὸς τὰ παρόντα χρῶ κτλ.*“ subest, Bion ipse illustravit similitudine histrionis (Tel. rel.[2] p. 5, 1 sqq.). Hac Cic. quater in Catone (§ 4. 64. 70. 85) utitur. Si omnia Bionea, quae ex Catone collegi, recordatus es, facere non potes, quin etiam hanc comparationem auctori Cic. tribuas, quamquam eam Cic. iam antea novisse ex epistula ad Quintum fratrem data (I, 1 § 46) et ex paradoxis (III, § 26) accepimus. Praeterea illa in epistula multo antea, anno 60 vel 59 a. Chr. n. scripta, in qua fratrem, qui ipse brevi antea fabulas composuerit (cf. Tyrell-Purser, the correspondance of Cic. 1885 vol. I, p. 269), ut bonam conclusionem faciat in quaestura fungenda, adhortatur et in paradoxo illo anno 46 a. Chr. n. scripto, in quo gestus actoris cum sapientis hominis habitu comparat, similitudo illa plane alio modo adhibita est atque in Catone. Multo propius ad Catonis locos, praecipue ad § 64 verba, accedit locus libri Teletis „*περὶ αὐταρκείας*“ (p. 16, 4) „*ὥςπερ ὁ ἀγαθὸς ὑποκριτὴς εὖ καὶ τὸν πρόλογον, εὖ καὶ τὰ μέσα, εὖ καὶ τὴν καταστροφήν, οὕτως ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ εὖ καὶ τὰ πρῶτα τοῦ βίου, εὖ καὶ τὰ μέσα, εὖ καὶ τὴν τελευτήν*“. Eadem verba quae apud Teletem in Catone non reperiri mirum non est; neque enim Bion ipse a Cic. exscriptus est, sed auctor libri „*περὶ γήρως*“ qui illam similitudinem libro suo accommodavit. Constat igitur in libro Tulliano inesse complures locos Bioneo colore tinctos. Quos ex Tithono Aristonis sive Chii sive Cii philosophi fluxisse, sive Cic. illum librum ipse legit sive alium auctorem exscripsit, qui Tithono usus est, veri non dissimile est.

Item apparet in Catone inesse doctrinas Stoicorum (§§ 4. 5. 9. 33, 10 sqq. 67/70). Iam supra (p. 45) adnotavimus eas iam antea Cic. notas fuisse. Inde quis concludat consulto Cic. Stoica Catoni tribuisse, cuius pronepos esset Cato ille, qui Stoicorum philosophiae plane erat deditus. Sed haec suspicio mihi non probatur, cum illa Stoica cum aliis sententiis eis, quae certe Cic. ex fonte sumpsit, nec non cum Bioneis coniuncta sint. Sententia Bionea in § 33 allata (cf. p. 48) artissime conexa est cum verbis sequentibus „cursus est certus aetatis et una via naturae eaque simplex suaque cuique parti aetatis tempestivitas est data", quibus doctrina praebetur Stoica. Eadem aliis verbis dicuntur in similitudine histrionis in § 5 adhibita. Ea quoque, quae sequuntur illam in § 5 „sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum et tamquam in arborum bacis terraeque fructibus maturitate tempestiva quasi vietum et caducum, quod ferendum est molliter sapienti" congruunt cum verbis § 33 „ut — senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat"; verbum enim „percipere" et in § 24 et in § 70 fin. cum „fructus" voce coniunctum est. Praecipue sententia Stoica „quid est enim aliud Gigantum modo bellare cum dis nisi naturae repugnare", quae similitudo nusquam apud Cic. inveniatur, certe ex fonte Graeco sumpta est. Porro verba § 9, qua Stoicam doctrinam contineri nemo non videt, „quae (sc. virtutes) in omni aetate cultae mirificos ecferunt fructus" concinunt cum verbis §§ 5 et 33. Item sententia § 4 (cf. supra p. 47 sq.) artissime cohaeret cum verbis „tanta est stultitiae inconstantia ac perversitas", ad quae iam van der Ton (l. c. p. 22) attulit recte placitum Stoicum „ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται". Nam quamquam Cato magis stultitiam rationis vivendi vituperare vult quam inscitiam doctrinae philosophae, tamen illud vitium in § 4 et § 67 similiter gravissimis verbis castigatur atque in illo placito Stoicorum. Iterum dixerit quis, Cic., qui illud in paradoxo IV. tractaverit, ipsum illa verba adicere potuisse ad dictum Bioneum. Sed num putat quisquam et ea, quae sequuntur in § 4 illum locum („Obrepere aiunt — senectutem") et ea, quae in §§ 67 sq. leguntur, quibus locis vituperetur eadem stultitia (cf. p. 46 sq.), Tullium de suo, non ex fonte sumpsisse? Praecipue ea Stoica, quae insunt in § 70, ex fonte eo, quo agebatur de senectute, esse sumpta apparet inde, quod in Tusc. Disp. l. I, quamquam sententia reperitur eadem (§ 109. „Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere" § 95 „totam vim bene vivendi in animi robore — et omni virtute ponamus, sc. non in longitudine vitae" cf. § 93), tamen deest similitudo et histrionis et autumni. Quas in § 5 Catonis

invenimus. Itaque equidem censeo pro certo haberi posse in fonte Graeco Cic. fuisse Stoica eaque saepius cum Bioneis conexa.

Hac ex re non sine aliqua specie veritatis concludatur Stoicum scripsisse Aristonem Tithonum. Atque insunt in Catone nonnulla, quae cum Chii philosophi fragmentis comparari possunt. Totum per Catonem invenimus morem ad illustrandas sententias utendi similitudinibus. Quamquam haec consuetudo Bionea Ceo quoque philosopho propria est (cf. Mayer l. c. p. 491, adn. 13), tamen plus semel videmus easdem comparationes adhibitas, quas instituit Aristo Chius. Histrionis similitudo ab Stoico illo paene Cynico adhibita est ad doctrinam peculiarem illustrandam (St. V. F. fg. 375). Vitae cum vino collationem (§ 65), quam ad fontem revocandam esse iam supra (p. 47) suspicati sumus, simillimo modo Aristo Chius instituit in fragmento a Seneca servato (fg. 388). In § 48 invenitur similitudo a theatro petita. Iam in priore parte (p. 24) adnotavimus hanc §, cum non satis diligenter cum prioribus conexa sit, ex fonte sumptam esse. In ea inesse Aristonea iam inde suspicari licet, quod similitudo affertur. Sed dixerit quis eam doctrinam, quae illi subsit, abhorrere a Stoico philosopho, quem Cic. „praefractum et ferreum" nominet (Hortensius fg. 38 Müller). At iam Giesecke (l. c. p. 210) attulit Chii philosophi definitionem temperantiae eam, quae a Plutarcho servata est (fg. 375) *„ἡ ἀρετὴ — ἐπιθυμίαν κοσμοῦσα καὶ τὸ μέτριον καὶ εὔκαιρον ἐν ἡδοναῖς ὁρίζουσα (κέκληται) σωφροσύνη"*. Porro iam supra (p. 46sq., 49) adnotavimus etiam atque etiam vituperari stultitiam insipientium vehementissime. Quam doctrinam, stultos homines insanire, quamquam omnes Stoici secuti sunt, tamen Aristonem maxime ursisse constat et ex Diog. Laert. (fg. 347) testimonio et ex fragmentis ipsis a Seneca (fg. 359) et a Galeno (fg. 374) servatis. Qua re iam Giesecke adductus est, ut Chio philosopho Tithonum tribueret. Porro in verbis § 9 „aptissima sunt arma senectutis artes exercitationesque virtutum"; ubi „artes" significare praecepta Moore primus recte perspexit (cf. Thes. lingu. Lat. II, p. 609) invenimus Aristonis doctrinam a Seneca in § 48 epistulae 94 servatam. Praeterea verbis „quia nunquam deserunt sc. artes exercitationesque virtutum ne extremo quidem tempore aetatis" non repugnat Aristonis dictum a Stobaeo servatum[1]) (fg. 399) *„πολλοὶ σοφοὶ* (non „insipientes" senes!) *γηραιοὶ φιλοζωοῦσι ... ὀψὲ ἀρετῆς ἐπήβολοι*

[1]) Hoc *ὁμοίωμα* sicut cetera Stoici esse philosophi Dyroff recte ostendit (l. c. p. 200sq.). Falso Gercke l. c. p. 204 illud Chio philosopho abiudicat (cf. fg. 370; Sen. ep. 94 § 3 „ex disciplina et exercitatione").

γενόμενοι ἐφίενται αὐτὴν ἐκθρέψαι“. Etiam sententia § 38 Catonis „Ut enim adulescentem, in quo est senile aliquid – probo“ congruit cum verbis a Seneca traditis (fg. 388) „Ariston aiebat malle se adulescentem tristem quam hilarem et amabilem turbae“. Denique afferatur Eratosthenem, qui Chii philosophi auditor fuit, similiter atque Ciceronem in § 71 aetates hominum comparare cum anni temporibus in fragmento a Stobaeo servato (flor. 116, 43 Mein.).

Attamen hi loci comparati non ita inter se similes sunt, ut contendere audeam certum esse Tithonum scripsisse philosophum Stoicum. Praeterea cum nesciamus, num Cic. ipse Tithonum adhibuerit, dixerit quis iure eodem auctorem Stoicum quendam libro Aristonis Cei, qui idem Bionis *ζηλωτής* fuerit, non sine aliqua irrisione (cf. § 3 Catonis) usum ita, ut Stoicas doctrinas adiceret, a Cic. exscriptum esse (cf. quae Giesecke, qui Chium philosophum Tithonum composuisse sibi persuaserit, disputat l. c. p. 209). Porro afferi potest pro Aristone Ceo et Theophrastum et Demetrium Phalereum Peripateticos philosophos „*περὶ γήρως*“ scripsisse (cf. supra p. 46). Denique in Plutarchi scripto „*εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον*“, quod Peripatetica continet[1]), complures sententiae inveniuntur similes Catonis maioris.

Cicero.	Plutarchus.
§ 44 (senectus) voluptates nullas magno opere desiderat. § 47 Sophoclis dictum, a Plutarcho in c. 8, p. 788 E allatum alio modo. § 45, 4 epulabar — modice. cf. § 59 conscientia bene actae vitae. cf. § 71.	c. 5, p. 768 A, *τὸ σῶμα τῶν γερόντων ἀπείρηκε πρὸς πάσας πλὴν ὀλίγων τῶν ἀναγκαίων τὰς ἡδονάς. καὶ οὐχ ἡ Ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθεται μόνον — ἀλλὰ καὶ τὰς περὶ πόσιν καὶ βρῶσιν ἐπιθυμίας ἀπημβλυμμένας — κατέχοντες μόλις — χαράττουσιν· ἐν δὲ τῇ φυχῇ παρασκευαστέον ἡδονὰς οὐχ ἀγεννεῖς — ἀλλ' — ἡλίκας αἱ ἀρεταὶ τοῖς χρωμένοις ἀπὸ τῶν καλῶν πράξεων — παρασκευάζουσιν.*
§ 22 manent ingenia senibus, modo permaneant studium et industria. cf. § 36.	c. 8, p. 788 B. *οὐδὲ ἡ ἕξις τοῦ φρονεῖν ὁμοίως παραμένει τοῖς μεθεῖσιν αὑτούς, ἀλλ' ὑπ' ἀργίας ἐξανιεμένη — ἀεί τινα ποθεῖ φροντίδος μελέτην.* —

[1]) Auctorem fontis libri Plutarchei Peripateticorum scholam secutum esse in excursu ostendo.

§ 17 non viribus aut velocitate aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio auctoritate sententia. cf. § 19.	c. 10, p. 789 D. *τοὺς δὲ τοῦ Βουλαίου —· Διὸς ὑπηρέτας οὐ ποδῶν ἔργα καὶ χειρῶν ἀπαιτοῦμεν, ἀλλὰ βουλῆς καὶ προνοίας καὶ λόγου — νοῦν ἔχοντος κτλ.*
§ 61 honeste acta superior aetas fructus capit auctoritatis extremos.	p. 789 F *(τῆς φρονήσεως) καθάπερ ὀψικάρπου φυτοῦ τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν — ἐν γήρᾳ μόλις ἡ ὑσις φἀποδίδωσιν.*
§ 29. tales vires – ut adulescentes doceat etc.	c. 12 p. 790 E. *εἰ διὰ μηδὲν ἄλλο τῷ γέροντι παιδείας ἕνεκα τῶν νέων καὶ διδασκαλίας πολιτευτέον ἐστίν.*
§ 35. At id (imbecillos esse senes) quidem non proprium senectutis vitium est, sed commune valetudinis.	c. 15 p. 791 D. *οἱ δὲ τὰς ἀρρωστίας προβαλλόμενοι — νόσου μᾶλλον ἢ γήρως κατηγοροῦσι· καὶ γὰρ νέοι πολλοὶ νοσώδεις καὶ ῥωμαλέοι γέροντες.*
§ 17 res magnae geruntur – consilio auctoritate sententia.	c. 16 p. 792 D. *ἡ τῶν πολιτικῶν ἕξις, εὐβουλία καὶ φρόνησις καὶ δικαιοσύνη — ἐμπειρία στοχαστικὴ καιρῶν καὶ λόγων κτλ.*
§ 28 est decorus senis sermo quietus et remissus facitque per se ipse sibi audientiam.	c. 18 p. 793 A extr. *μὴ τὸν ὀξὺν ἅμα καὶ σύντονον διώκειν γέροντας γενομένους κτλ.*
§ 17 non viribus aut velocitate aut celeritate etc. (cf. supra.)	c. 28 p. 797 E. *οὐ γὰρ αἱ χεῖρες ἡμῶν οὐδ' αἱ πόδες οὐδ' ἡ τοῦ σώματος ῥώμη κτῆμα τῆς πόλεως μόνον, ἀλλ' ἡ ψυχή κτλ.*

Videmus ex sententiis in conspectu collocatis non ita magnam esse similitudinem locorum, quae etiam minor videbitur esse, simulatque sententiarum connexus perscrutatus es. Unde apparet Plutarchum Cic. librum non adhibuisse. Ne ex exemplis quidem communibus id concludi potest. Appii Claudii exemplum (c. 28 p. 794 D. sqq.; Cato § 16) Plutarchus ex vita Pyrrhi (c. 18) sumpsit; Masinissae ex Polybio (c. 15 p. 791 F.; Cic. in § 34 alia narrat); narratiunculam de Sophocle sene allatam in c. 3 p. 785 A. uberius enarrat quam Cic. in § 22 Catonis; Sophoclis dictum (c. 8 p. 788 E.; Cato § 47) ex Platone ipse, quem diligenter legit, noverat; Solonis dictum (c. 21 p. 794 F.; Cato § 72) uberius in vita Solonis (c. 30 sqq.) enarravit neque magni momenti est in libro „*εἰ πρεσβ. πολ.*" congruenter cum Catonis verbis Solonem

„πέμψαντος τοῦ Πεισιστράτου“ illud dixisse tradi, cum in vita Solonis legamus *„πολλῶν νουθετέντων καὶ πυνθανομένων“*. Ne inde quidem, quod in vita et Flaminini (c. 18) et Catonis (c. 17) Plutarchus commemorat Cic. de senectute librum, concludi potest eum Cic. Catone usum esse, cum Leo (die griech.-röm. Biographie, p. 166sq.) recte ostenderit eum adhibuisse auctorem, qui iam Nepotis vitam Catonis et dialogum Cic. adhibuerat. — Plutarchum Tithono ipso usum esse mihi non verisimile videtur. In initio c. 17 exponit ut Tithonum, si quis patrem haberet, adiuvaret atque coleret, ita patriam cultu egere atque multo magis. Sed quamvis mira haec comparatio sit, tamen multo magis miror, quod deest apud Plutarchum illa histrionis similitudo, quam ut in dialogo Cic., ita in libro Aristoneo fuisse constat. — Sed ut ad propositum redeamus, exstant sententiae similes, quamvis non plane congruant, in Catone allatae et in libro Plutarchi, cui fons subest Peripateticus. Qua re nisus quis contendat Tithonum Cei esse philosophi, quamquam hanc opinionem demonstrare vix possit.

Nihil adiuvamur in hac quaestione solvenda Varronis satura Menippea, quae inscribitur Tithonus (Bücheler Petronii saturae[4] 1894 fg. 544/548), cum nonnisi V frustula brevia servata sint. Varronem Aristonis libro usum esse verisimile est. Iam Moore conatus est singula fragmenta afferre ad locos quosdam Catonis (§§ 48. 77. 83. 85). Praecipue fragmentum IV „sic invitata matura anima corporeum corticem facile relinquit“, quod Moore minus apte cum § 77 comparavit, contendi potest cum verbis § 71 „vitam aufert — senibus maturitas“ (cf. § 55 „matura tempestivitas“ § 72 „omnis conglutinatio — inveterata facile divellitur“). Aliter Hense (l. c. p. CXVI adn. 2) iudicavit. Neque vero quicquam certum hac de re contendi potest.

Denique nescio an in quaestione enodanda aliquid proficiamus ex indole Tithoni. Hirzel (l. c. p. 336 adn. fin.) animadvertit mirum esse Tithonum, qui vulgo habeatur senex omnibus senectutis malis cumulatus, senectutem defendisse in libro Aristoneo atque suspicatus est id fieri potuisse, quod traditum sit Tithonum ab Aurora precibus commota mutatum esse in cicadam, quae a Platone (Phaidr. p. 359 D) imitanda hominibus proposita sit. Attamen semper (cf. locos collectos a Papio, Lexikon der griech. Eigennamen s. v. *Τιθωνός*, quibus addendi sunt schol. A et B ad *Λ* 3, Eustath. ad *Λ* 1, *ε* 121) nec non apud Hieronymum (l. c. cf. Hiller Hieronymi Peripatetici fragmenta, satura philol. Sauppio oblata. Berol. 1879 p. 117), qui solus tradit Auroram maritum in cicadam mutasse *„ὅπως ἥδοιτο διηνεκῶς φωνῆς ἀκούουσα“*, Tithonus est senex miser aetate

longiore ita confectus, ut ipse mortem optet. Itaque rectum est, quod idem ille vir doctus dicit l. c. „In Aristo's Tithonus ist die volkstümliche Auffassung auf den Kopf gestellt". Consuetudo autem Cynicorum est, qui propositum habeant „παραχάραξον τὸ νόμισμα" ut fabulas contra opinionem vulgarem interpretentur; qua de re egregie egit Ernestus Weber in dissertatione „De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore" (Leipz. Stud. X, p. 99sq. 143/149). Quae cum ita sint, mihi verisimilius est Stoicum philosophum esse auctorem Tithoni (cf. etiam St.V.F. I fg. 349, ubi Ulixes vituperatur expers philosophiae; E. Weber l. c. p. 149 agert titulum „Ὀδυσσεῖς"), cum vix putari possit Peripateticum philosophum adeo *Βίωνος ζηλωτήν* fuisse, ut eius non solum genus dicendi, sed etiam morem et doctrinam sequeretur (cf. supra p. 36 adn.). Nam contra Gerckii opinionem (l. c. p. 203) fieri non potuisse, ut Aristo Stoicus Tithono sermonem tribueret, dicendum est in catalogis Laertianis librorum et Herilli (St. V. F. I fg. 409) et Persaei (fg. 435) inveniri libros, qui inscripti sunt *Ἑρμῆς, Μήδεια, Θυέστης* (cf. Ritschelii verba supra p. 36 allata). Qua opinione confirmor locis eis supra (p. 50sq.) collectis, qui cum Aristonis fragmentis comparari possunt.

Hoc si rectum est, quaerendum est, nonne Cic. Tithono ipse usus sit. Supra (p. 38) omisimus plura exempla, quae nusquam praeterea apud Cic. inveniuntur. Necio an inde, quod in § 72sq. ad eandem sententiam „illud breve reliquum vitae nec avide appetendum senibus" afferuntur duo loci eiusdem viri Solonis ita, ut alter (dictum Solonis § 72) aptus sit, alter (versus Solonis § 73 cf. supra p. 31sq.) non item („haud scio an melius Ennius") ad sententiam illam illustrandam, recte concludam Solonis dictum (§ 72) Cic. ex fonte hausisse atque in § 73 eiusdem viri versus ex Tusc. Disp. repetivisse (cf. supra p. 41), praesertim cum viderimus (cf. p. 31) Solonis dictum artissime cum argumento § 72 cohaerere. Cum autem veri dissimile sit Tithonum in libro Aristonis illud exemplum attullisse (cf. p. 38), non sine causa concludas Cic. non Aristonis librum, sed alium, in quo ille exscriptus erat, adhibuisse. Hunc autem a Stoico scriptum fuisse non solum ex eis, quae p. 49sqq. exposuimus, apparet, sed etiam ex aliis exemplis. Milonis exemplum ad sententiarum conexum § 27 tam bene adaptatum est, ut facile putes id iam in fonte Cic. exstitisse atque optime ad auctorem Stoicum quadrat, cum acceperimus non solum Cynicos (cf. E. Weber l. c. p. 253 sqq,; Helm, Lucian und Menipp, 1900, p. 168), sed etiam Stoicos despexisse athletas (cf. Norden, in Varronis saturas Menippeas observationes selectae. Jahrb. f. klass.

Phil. suppl. 18, 1891, p. 300). Denique Gorgiae dicto (§ 13) Stoicam doctrinam eam, quae est de morte voluntaria, supponere possumus, cum legamus „cur tam diu vellet esse in vita“ (cf. Tischeri adnot.), quamquam Cic. his verbis mortem voluntariam defendere non in animo habere Moore recte adnotavit. Ex testimonio Pseudo-Luciani (macrob. c. 23) Gorgias inedia sibi mortem conscivit. Propterea fonti, in quo in § 85 fine hanc doctrinam allatam fuisse postea suspicabimur (p. 57sq.), illud exemplum fortasse tribuendum est. Accedit, quod Stobaeus (flor. 118, 29 Mein. „*ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους χρειῶν*“) tradit „*Γοργίας ὁ ῥήτωρ ἤδη λίαν γηραιὸς ὢν ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος, εἰ ἡδέως ἀποθνήσκοι, ἥκιστα, εἶπεν, ὥςπερ δὲ ἐκ σαπροῦ καὶ ῥέοντος συνοικιδίου ἀσμένως ἀπαλλάττομαι*“. Fortasse hoc dictum in fonte fuit, quod Cic., qui mortem voluntariam cum Pythagora vetat (§ 73), ad suum usum convertit. Praeterea Seneca, philosophus Stoicus, verba „*ἐκ σαπροῦ καὶ ῥέοντος συνοικιδίου ἀσμένως ἀπαλλάττομαι*“ in ep. 58 § 35 verbis „prosiliam ex aedificio putri ac ruenti“ vertit (cf. etiam in Teletis libro „*περὶ φυγῆς*“ verba p. 27, 2 Hense). His ex exemplis non sine causa concludas Cic. exscripsisse librum Stoici cuiusdam, qui Tithono Aristonis Chii usus est. Demonstrari quidem haec opinio non potest. Dixerit quis Tullium ipsum illa exempla collegisse atque in Tithoni sermonem inseruisse.

Ut summam faciam eorum, quae exposui de fonte Cic.: Constat librum a Cicerone exscriptum a Stoico compositum esse; in eo iam fuisse Bioneas sententias; quare in Catone inesse frustula ex Aristonis Tithono sumpta. Non certe constat, at verisimile est Stoicum Aristonem fuisse auctorem Tithoni; Ciceronem usum esse non Tithono ipso, sed libro Stoici philosophi, qui Aristonis librum excripsit.

Quamquam liber a Cic. adhibitus, cuius de auctore modo disputavimus, iam non exstat, tamen conari possumus plura colligere, quae Cic. ex fonte hausit. Expedit proficisci a parte IV Catonis, cuius primam particulam (§§ 66/76) non semper diligenter compositam esse supra vidimus (p. 29sqq.). Perspicuum enim est §§ 67sqq., ubi senectus cum iuventute comparatur, non recta via cum § 66 exeunte et § 67 primo enuntiato cohaerere, qui levis conexus vel ex particula „quamquam“ apparet. Qua cum observatione optime concinunt ea, quae supra disputavi: verba „quae aut plane neglegenda — futurus sum“ Cic. esse ex locis similibus Tusc. Disp. conclusimus (p. 39) et in § 68, propztereaque etiam in § 67, fontem Stoicum inesse ex eis, quae p. 46. 50 disputavimus

verisillimum est. Quae cum ita sint, nemo negabit etiam in § 71 („quid est — maturitas"), qua sententiae §§ 67/68 continuentur, plura ex fonte fluxisse. Praeterea hic insunt duae similitudines, quarum altera ab arboribus petita iam in § 5, ubi Aristonea exstant, adhibita est. Etiam in §§ 72. 74 fontem exscriptum esse puto, cum viderimus (p. 29 sqq.) sententiarum nexum ab § 67 esse hanc: vitium IV senectuti commune esse cum adulescentia atque senem eo meliore esse condicione quam adulescentem, quod iam vixerit (§ 67/68), quod mors senibus magis secundum naturam accidat (§ 71; nam §§ 69. 70 interrumpunt hunc nexum sententiarum), quod senex reliquum vitae non avide appetere debeat (§ 72), quod sensus moriendi seni levior sit (§ 74; cf. § 72 fin. § 71 „vitam adulescentis vis aufert"). Praeterea Hense (l. c. p. XC) ad verba „breve reliquum vitae" recte attulit Bionis dictum (Gnomol. Vat. n. 163) „ὁ αὐτός (sc. Bion) ἔφη τὸ γῆρας λείψανον τοῦ βίου εἶναι". Accedit, quod iam supra vidimus (p. 31 sq. 41) paragrapho 73, in qua versus Solonis et Ennii ex Tusc. Disput. repetuntur, enuntiatum ultimum § 72 iterum illustrari atque minus apte, quam prioribus verbis eademque paragrapho secerni § 74 a § 72, in quibus eadem sententia inest („iam sensus moriendi etc." „iam omnis conglutinatio etc."). Etiam similitudo navis et aedificii quasi resipit Aristonem, cuius ὁμοιώματα a discipulis collecta sunt (a Stobaeo servata). Accedit, quod in Teletis libro „περὶ φυγῆς" (p. 27, 2 Hense) similitudo et navis et aedificii invenitur, alio quidem modo adhibita. Etiam Seneca in ep. 58 § 35 hac comparatione usus est ad mortem defendendam. Ea quoque, quae de fine optimo senis dicuntur, fontem Stoicum Cic. praebere potuisse apparet ex Senecae ep. 26 § 4 („quis est exitus melior quam in finem suum natura solvente dilabi?").

§§ 69. 70 e via recta sententiarum egredi iam diximus. Attamen in § 70 sine dubio Aristonea insunt: histrionis similitudo, qua doctrina Stoica illustratur (cf. Sen. ep. 77 § 20; in Tusc. Disp. l. I § 95, ubi eadem doctrina affertur, deest comparatio histrionis cf. p. 49), vitae cum anni temporibus contentio. Hanc Aristonis esse vel ex fine § 5 et § 71 concludendum est (cf. Eratosthenis verba a Stobaeo servata iam p. 51 exscripta). Quae cum ita sint, quaerendum est, nonne Cic. iam in fonte digressionem §§ 69. 70 invenerit. Verisimilius est eum ipsum hanc egressionem inter sententias § 68 et § 71 posuisse. Nam Arganthonii exemplum non in fonte exstitisse supra aliis de causis suspicati sumus (p. 37). Praeterea ex pluribus locis, ubi fons non adhibitus est, vidimus Tullium

consulto orationem a recta via deflexisse, ut morem depingeret senilem atque supra p. 29 sq. exposuimus sententias § 70 quamvis consolationi de senectute institutae conveniant, tamen ab argumento partis IV aberrare et cum sequentibus §§ per vim conexas esse. Huc accedit, quod in Tusc. Disp. l. I § 93 voce „tempus“ adductus pergit „quod tandem tempus?“ simili modo atque hic ad vocem „diu“ asserit „quod est diu?“ et ambobus his locis de brevitate vitae similia dicuntur. Denique vidimus (p. 45 sq.) Cic. vestigia auctoris non diligenter pressisse, id quod luculenter confirmatur §§ 66/74 modo explanatis, ubi semper Tulliana inveniuntur (§ 67 fin. § 68 init. § 69. § 71 fin. cf. p. 42 sq.; § 73. § 74 fin. § 75). Etiam § 76, in qua fontem exscriptum esse verisimile est, cum verbis „satietatem vitae tempus maturum mortis afferre“ (cf. § 5 „maturitas tempestiva“ § 33 „maturitas“; cf. etiam Sen. de brev. vit. VII 9) contentionem iuvenis et senis in §§ 67/74 adhibitam supponere possumus, fine § 74 et § 75 ex Tusc. Disput. sumptis (cf. p. 32. 41) secernitur a sententia § 74 init. ex fonte sumpta. Quam suspicionem rectam esse inde constat, quod Cato his verbis § 76 abscedit a sententia in § 38 allata (cf. p. 32).

Vidimus ex §§ 67/76 plura ad auctorem Cic. reducenda esse, quamvis multa de suo addiderit. Sequentem particulam (§§ 77/84) partis IV, in qua sententiae optime inter se excipiunt (cf. p. 33), Tullium non ex fonte sumpsisse apparet ex eis, quae supra disputavimus (p. 39 sqq.). Nonnisi finem § 83, quem iam Gercke (l. c. p. 209) ad fontem reduxit, ex libro auctoris fluxisse suspicor, cum similitudo vitae cum cursu instituta a Cynicis adhibita sit (cf. Bionis dictum apud Diog. Laert. VI, 34 traditum p. 46 exscriptum; Varronis sat. Men. fg. 288, 289, Hor. sat. I, 1, 114). Sed Cic. illa similitudine iam usus est in Tusc. Disp. l. I, § 15. Denique Hense (l. c. p. CXVI) affert ad § 84 verba „ex vita ita discedo etc.“ Bionis (Tel. rel. p. 15, 11) et Senecae (ep. 120, § 14) locos. Sed ipse dicit antea Tullium hoc loco novasse sententiam illorum. Cic. verbis certe alius sensus subest atque Bionis et Senecae locis; praeterea iam in Tusc. Disp. l. I. § 51 corpus cum „aliena domo“ comparavit et in § 118 eiusdem libri caelum „domum nostram“ nominavit (cf. Hortem fg. 97 Müller). Itaque Hensii opinionem non sequor.

In § 85 Cic. disputationis finem facit similitudine senectutis cum fabulae peractione instituta, quam in Tithono fuisse verisimillimum est (cf. p. 48). Tischer in editione Catonis (1847) adnotat ad verba „cuius defatigationem fugere debemus“

supplendum esse. „Nun aber kann der Greis der defatigatio nur durch den Tod entgehen; folglich muß er sich zu seiner Zeit den Tod wünschen, zumal Lebenssättigung eingetreten ist.“ Nescio an non minus recte concludam in fonte Cic. illius verbis subfuisse Stoicorum de morte voluntaria doctrinam (cf. p. 55; cf. Sen. ep. 58, §§ 30, 32). Iterum ex hoc loco videmus, quanta libertate Cic. usus sit in auctoris sententiis in usum suum conversis.

Idem perspicimus multo clarius ex eis partibus Catonis, quas diligentius compositas esse invenimus. Velut in parte I gubernatoris similitudo, quam ad Aristonem redire verisimile est (cf. fg. 396), artissime cum exemplis a Cic. allatis conexa est (§ 17). In exordio sententia § 14 „sua enim vitia etc.“, quae Bionea est (cf. p. 47), allata est, ut Graecorum exemplis Ennii exemplum annectatur (cf. p. 47. 14). Idem concludere liceret ex verbis § 14 „duo quae maxima putantur onera, paupertatem et senectutem“, si pro certo haberi posset ea redire ad fontem, quippe quae Graecorum proverbium sint (Otto, Sprichwört., p. 209, Latinum locum non attulit) atque a Diogene Cynico usurpata sint (Diog. Laert. VI, 51). Ea quoque, quae in §§ 4. 5. ex fonte sumpta sunt (cf. p. 46sq. 49), optime Catonis sermoni adaptata sunt. In parte II verba § 33 „denique isto bono utare etc.“ ex fonte sumpta sunt (cf. supra p. 48). Ea quae antecedunt, iam in § 27 simili modo allata sunt. Hac in § etiam sententia „non tauri aut elephanti (vires) desiderabam“ fortasse ad fontem reducenda est, cum constet Stoicos illam comparationem adamasse (cf. Sen. de benef. II, 291 sqq. ep. 124 § 22, qui loci iam a Nordeno l. c. p. 305 sq. allati sunt). Milonis quoque dictum fortasse ex fonte petitum est (cf. p. 54). Hae duae sententiae simili modo repetuntur in § 33, quod quo modo explicandum sit, supra exposuimus (cf. p. 19). Has repetitiones in fonte iam exstitisse non verisimile est; nam in § 53 Cato vires cum Romani centurionis comparat et Milonem Cic. ipse cum Pythagora composuit, cuius more viventem Catonem in § 38 fingit. Itaque cum finis § 33 et initium § 27 auctoris Stoici sint, dilucidissime videmus, quam non Cic. veritus sit fontis sententias magna cum libertate in usum suum convertere. In parte III theatri similitudinem (§ 48 „Ambivio Turpione“) iterum Catonis sermoni adaptavit. Hanc similitudinem ex libro eo, quo agebatur de senectute sumptam esse, inde apparet, quod his verbis de voluptate plane aliter iudicatur atque in §§ 39/44 init. (cf. p. 23. 43 sq.).

Praeter exempla, de quibus p. 37 sq. 54 disseruimus,

Cic. iam in prioribus scriptis solebat versus orationi inserere atque cur id fecerit, in Tusc Disp (II § 20 cf. supra p. 11) exponit. Sed etiam Bionem (Hense l. c. LXXV, LXXXV) nec non Aristonem (cf. fg. 343 sq. 346. 370 fragmentum ab Aeliano apud Suidam s. v. εὐφημία servatum cf. Radermacher Philol. 1900 Bd. 59 p. 101; cf. Gerhard Phoinix von Colophon 1909 p. 239 sq.) atque ceteros Stoicos (cf. Gerhard l. c. p. 231 sq.) versibus sermonem ornavisse constat. Inde facile suspiceris etiam in fonte Cic. versus allatos fuisse. Neque vero usquam in Catone poeta affertur Graecus nisi Solon atque ita affertur, ut versus ipsi non exscripti sint (§§ 26. 50. 73). Non est, cur hoc mireris. Nam et vidimus etiam atque etiam Cic. fontem non diligenter secutum esse et iam supra diximus (p. 11. 41) eum consulto non facere Catonem versus Graecos afferentem. Alter locus Solonis, qui iam in Tusc. Dip. (I, § 117) adhibitus sit, certe non ex fonte sumptus est (cf. p. 41). Alter versiculus bis allatus (§§ 26. 50) num in fonte fuerit, nescimus; tantum constat eum a Cic. nondum in prioribus libris adhibitum esse. Quae cum ita sint, concludendum est, Cic. versus in fonte allatos aut suppressisse aut in orationem solutam transtulisse. Hoc eum fecisse in § 62 verisimillimum est, cum verba „non c a n i nec r u g a e auctoritatem arripere possunt" poetis solum concessa esse apud Romanos soleant. Hense (l. c. p. CXXI) iam recte attulit Senecae locum (de brev vit. VII, 10) nec illam sententiam a Cynicis alienam fuisse docuit Varronis sat. Men. fg. 5 allato. Num versus Menandri ab Hensio exscripta in fonte fuerint, nescimus (deest vocabulum in illis verbis, quod voci „rugae" respondet). Idem vir doctus non satis demonstravit in § 4 Antiphanis versus in fonte fuisse (l. c. p. C. XX. cf. supra p. 46 sq.). Neque vero nego hoc loco versus quosdam ab auctore Cic. insertos fuisse. In initio § 4 versus eos, qui inveniuntur bis in Teletis reliquiis (p. 42, 11. 50, 1) a Cic. supressos esse maiore cum veritatis specie contendit (l. c. p. C. XXII. „Aetna gravius onus"). In § 65 Antiphanis versus exstitisse in fonte atque ab interlocutore allatos fuisse Hense ostendere non potuit (p. CXX).

Ut summam totius huius partis faciam: vidimus Ciceronem fontem Graecum, quo agebatur de senectute, nequaquam diligenter secutum esse atque plerumque ea, quae ex eo sumpsit, nec non locos ex Platone et Xenophonte translatos sermoni diligenter adaptasse; quod locos ab aliis petitos in III et IV parte cum ceteris non satis compensavit, inde explicandum est, quod opusculum non satis perpolivit, cum in priore parte viderimus, quo propius absumus a fine dialogi, eo minus Tullium

frustula ex fonte sumpta cum ipsius sententiis coniunxisse. Maximam partem dialogi non ex auctoris libro hausit, quamquam non ex sua ipsius cogitatione, sed ex aliis libris (Platonis Xenophontis Tusc. Disput.) ea, quae non in fonte erant, sumpsit. Neque mira est haec libertas, cum Cic. eo tempore, quo Catonem composuit, LXII annos natus iam multum in libris philosophicis componendis versatus sit.

Conclusio.

Spero mihi contigisse, ut quomodo Cic. Catonem maiorem composuerit, clarius iam perspiciamus atque magis delectemur venustate huius opusculi. Quae praecipue inde explicanda est, quod, quamquam animo fingere debemus eum scripsisse hunc librum adhibitis libris auctoris Graeci eius, qui „περὶ γήρως“ scripsit, Platonis, Xenophontis, Tusculanis Disputationibus, Cic. ipse „senex ad senem de senectute“ (Lael. § 5) scripsit atque usus est eis, quae ipse vir annis provectus de fructibus senectutis cogitavit. Haec admiratio etiam augetur, cum ea, quae alii de senectute scripserunt, legeris, Iunci librum „περὶ γήρως“, Musonii opusculum „τί ἄριστον γήρως ἐφόδιον“, Plutarchi opus „εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον“ (cf. p. 46). Sed haec opera diligentius perscrutari cum proposito nostro non cohaeret, cum ex illis scriptis excepto libro Plutarcheo nihil fere de Catone maiore discamus.

Haec iam scripseram, cum Fr. Wilhelmi libellus „Die Schrift des Iuncus περὶ γήρως und ihr Verhältnis zu Cicero's Cato maior“ (programm 1911 nr. 263 des Breslauer König-Wilhelm-Gymnasiums) in publicum editus est. Iunci librum, cuius studio ut de Catone maiore dissererem, adductus sum, non ex Cic. dissertatione pendere ipse iam videram atque Wilhelmi perscrutatione confirmatur. Faltin quoque in dissertatione „Des Iuncus Schrift περὶ γήρως“ antecedenti anno Friburgi typis mandata, qua multis et paene nimiis exemplis uberrime demonstratur auctorem illorum fragmentorum sequi scribendi rationem eorum, qui Atticistae vocantur, hanc quaestionem eodem modo diiudicavit. Falso quidem ille vir doctus Lütjohanni et Ottonis opinionibus se applicat. Attamen recte animadvertit in fontibus Catonis maioris perquirendis non neglegendos esse locos communes librorum de senectute scriptorum et consolationum, ex quibus Cic. locos collegisse R. Heinze quoque in praelectionibus hoc anno de Cic. habitis dixit, atque ipse permultos locos similes congessit, cum equidem hac dissertatione nonnisi rationem inter Cic. et Aristonis libros perquisiverim. Illis locis similibus omnibus collectis quaestio ea, quae est de fontibus Catonis maioris plane solvetur, quantum nostris temporibus solvi potest.

Excursus.

De fonte libri Plutarchei „εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον".

Plutarchus in eo libro, cui inscripsit „εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον" permultas sententias easdem praebet, quas iam adhibuit in libro „πολιτικὰ παραγγέλματα". In hoc eum Peripateticorum doctrinam secutum esse Mayer (l. c. § 3) recte ostendit. Has sententias communes invenimus non solum in secunda parte commentarii, in qua eodem modo atque in libro πολιτικὰ παραγγέλματα" praecepta rei publicae gerendae seni dantur (loci similes sunt hi:

ad εἰ πρεσβ. πολ.	c. 18	p. 793 C,	cf. πολ. παρ.	c. 15	p. 812 E.
„	c. 18	p. 793 D,	„	c. 15	p. 811 D sq.
„	c. 22	p. 795 A/C	„	c. 14	p. 809 E sq.
„	c. 25	p. 796 B	„	c. 12	p. 806 C sqq.
„	c. 27	p. 797 B	„	c. 11	p. 806 A),

sed etiam in prima parte, in qua ei refelluntur, qui senem a gerenda republica abstrahunt

(εἰ πρεσβ. πολ.	c. 12	p. 790 E,	cf. πολ. παρ.	c. 11	p. 805 F.
„	c. 7	p. 787 F	„	{c. 12 {c. 11	p. 806 C. p. 805 E.
„	c. 7	p. 787 D/E	„	c. 13	p. 807 B/C.
„	c. 7	p. 787 E	„	c. 14	p. 809 F.
„	c. 6	p. 783 F	„	c. 15	p. 811 D).

Hac sententiae, quae in ambobus operibus adhibitae sunt, ad conexum sententiarum semper bene adaptatae sunt quare inde nihil concludi potest, uter liber prior scriptus sit. Sed Plutarchum cum ex initio libri „εἰ πρεσβ. πολ." c. I p. 783 C appareat eum provectiorem aetate esse atque in c. 19 p. 793 F eiusdem libri vituperetur, quod senex minoribus rebus fungatur, id quod ipsum fecisse nondum senem in libro „πολ. παρ." (c. 13 p. 811 B) dicit hunc librum priorem composuisse constat. Quae cum ita sint, verisimile est eum complures sententias ex praeceptis rei publicae gerendae in librum „εἰ πρεσβ. πολ." transtulisse, praecipue in secunda parte, in qua eadem res tractetur. Attamen in parte prima certe aliud opus Plutarchus exscripsit idque Peripatetici philosophi fuisse apparet ex locis eis, qui communes ei sunt cum altero libro, in quo philosophum Peripateticum exscriptum esse Mayer ostendit.

Tabula argumenti.

nno 1887 m.
Mai nere fungitur,
mat morte erepta
est. s eruditionis
eler Nicolaitanam
Lip re anni 1906
mat ogiae operam
dar is doctissimis
Gr m Zwickawiae
uni ut philologicis
stu iri doctissimi
vor ann, Cohen,
M. ster, Lipsius,
Me niczka, Süss,
V eminario philo-
log ii et Heinzii.
Se semestria duo
m aeologici per
te hilosophici per
tri arthio. Prae-
te archaeologicas
S olz, ad franco-
g

s ago gratias,
pr s meis semper
benigne favit.